

Disputationes in hoc Tomo
exhibitae.

- 1) De usu actionum poenaliū Juris Romani in foro Germaniae.
2. De pseudo privilegio pupilli, conuēti contraria actione negotiorū gestorū.
3. De pactis dotalibz ad Jus statutarium Hamburgense.
4. De fide Juridica.
5. De Jure consuetudinis et observantiae.
6. De Jure iniusto Herodipetarum.
7. De usu Juris paterni Romanorū secundum mores Germaniae et Jus Borussiae.
8. De crimine Bigamiae.
9. De legitima uiventis.
10. De hominibz propriis et liberis Germanorū.
11. De interpretatione beneficiorū Principis.
12. Morum cum Jure scripto contextus.
13. De archis emtionum.
14. De Nobiliorū causis adimendi legitimum.
15. De Jurisdictionis et Magistratuum differentia secundum mores Germanorū.
16. Non ens actionis forensis contra aedificatorem ex aemulatione.
17. Larva Legis Aquiliae detracta.
18. De Quasi emancipatione Germanorū.
19. De origine successione testamentariae.
20. De cōtura ex Jure Christianorū proscrībenda.
21. Prima initia successione testamentariae apud Romanos.

inf. L. †

CAUTELÆ CIRCA DOCTRINAM
DE

28

NATURA PRECUM JURI- DICARUM.

QVAS

DISSERTATIONE ACADEMICA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE PRUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.
DVCATVS MAGDEBVRG. GVBERNAT.
&c. &c.

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO
INTIMO AC PROFESSORE JURIS ORDINARIO

In Almæ Fridericianæ

AUDITORIO MAJORI

Die IX. Maji MDCCX.

*Proponet, ac publico Eruditorum Examine
subjiciet*

JO. FRIDER. BIECK,
Hallenfis.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ.

TYPIS JOH. CHRISTIANI ZAHNII, ACAD. TYPOGRAPHI.

ILLUSTRISSIMO,
PERILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS ATQUE
EXCELLENTISSIMIS
REGIMINIS REGII
MAGDEBURGICI
PRÆSIDI
AC
CONSILIARIIS
DOMINO MEO GRATIOSISSIMO
*PATRONIS AC PROMOTORIBUS MEIS PERPETUO
COLENDIS*
SACRUM

JO. FRIDER. BIECK,

Halle.

HALLÆ MAGDEBURGICÆ.

The JOH. CHRISTIAN BIECK, Acad. Theologus.

ILLUSTRISSE,
PERILLUSTRES GENEROSISSIMI ET EXCEL-
LENTISSIMI DOMINI



Ermittite, ut concatenatas Vestras cu-
ras ac saluberrima consilia, quibus
pro salute hujus Ducatus, & pro lar-
gissima juris & Iustitiæ administrati-
one, semper invigilatis, incomitis me-
is litteris interrumpere atque tur-
bare audeam. Ingenita Vobis ani-
mi magnitudo ac insignis illa Gratia,
qua infinitas fere ad Vos supplicantium preces, audi-
re, ac omnes, Vos adeuntes in admirationem trahere
soletis, tantam quoque animo meo indidit fiduciam,
ut meas ad Vos dirigere preces & Vobis præsens Spe-
cimen academicum submissa mente offerre diutius
non dubitaverim. Incitavit me ad hoc inprimis insignis
ille amor, quo bonarum artium studia profecuti, ac ge-
nerosus ille Candor & favor quo Veritatis amatores
semper dignati fuistis; Cumque S. Regia Maj. Vos sum-
mo hujus Ducatus præfecerit dicasterio, & omnes in-
colæ Vestram autoritatem, ac in judicando Sapien-
tiam submissè venerentur & in cælum suspiciant, Ex-
teri vero non satis admirari, extollere, atque evehere
possint raram, quæ in consiliis Vestris elucet pruden-
tiam, singularem, quam in actionibus monstratis rerum
peritiam, & profundam, quæ Vobis inest, divini humani-
que

DEDICATIO.

que Juris cognitionem, Vestro quoque judicio ac cen-
 suræ hæc pagellas submittere, simulque vitæ peractæ
 rationes reddere volui, meliores enim judices, quibus
 rectius arbitrium statuendique de præsentī labore, an
 fecerim operæ pretium, nec ne, committerem, inveni-
 re mihi non licuit, quam Vos, quorum acutissimo
 judicio ac sapientissimæ decisionī potissima præsentium
 thesium pars haud ita pridem tuit subjecta. Ad Ve-
 strum itaque Tribunal meas jam devolveo preces, sub-
 misse vos rogitans, ut eas, quas jam ad pedes Vestros
 devota Vobis mente ac manu defero theses, Serena
 fronte aspiciatis, ac pro innata Vobis Gratia æqui bo-
 nique consulatis. Nunquam id mihi sumsissem, nisi
 partim favorem, quo bonarum mentium studia profe-
 qui soletis, haberem cognitum, partim eximia benevo-
 lentia vestrae testimonia, Parenti meo hucusque exhi-
 bita, gratiam Vestram me sperare juberent. Interim
 Deum T. O. M. supplicibus adorabo precibus, ut Vobis
 constantes perennesque animi & corporis vires lar-
 giatur, Vestraque consilia, quibus Reipublicæ ac Eccle-
 siæ intenditis salutem, felicissimo exornet successu, quo
 cuncta in Patriæ emolumentum, Illustrissimi Vestri
 ordinis splendorem perpetuum, semper & ubique ex
 sententia cedant. Id quod precatur

Illustriss.

Perill. Generos. ac Excell. Nomin. Vestrorum

devotus Clientis

IO. FRID. BIECK.

SUMMARIA DISSERTATIONIS
DE CAUTELIS CIRCA DOCTRINAM

DE

PRECIBUS JURIDICIS.

Preces in genere quid. §. I. Earum differentia a iustibus, mandatis, imperiis §. II. Precamur superiores, pares, inferiores. §. III. Non solum homines, sed etiam Deum. §. IV. Preces Sicut §. V. Cautela ei, qui rogatur, observanda §. VI. Precum diversa consideratio Philosophica, Juridica, Theologica. §. VII. Cautela generalis de discernenda falsa doctrina, de natura precum a vera. §. VIII. Fundamenta perspicua Doctrinae verae §. IX. Criterium Doctrinae falsae 1) Philosophicae, ejusque exempla tria. §. X. 2) Theologicae, partim preces rationales aut etiam irrationales venditando pro supernaturalibus, §. XI. Partim rejiciendo usum rationis & sic omne criterium tollendo, naturalia distinguendi à supernaturalibus. §. XII. (Quatenus criteria doctrinae falsae Philosophicae & Theologicae ad Criticam pertineant §. XIII.) 3) Juridica. §. XIV. Cautela specialis quales hic sint expectanda §. XV. Cautela, ut venditor fide de pretio habita, ope precarii retineat dominium. §. XVI. Hac cautela adhibita entorem non liberari à prestatione usurarum. §. XVII. An clausula precarii in constituto possessorio noceat, an profit, an sit superflua. §. XVIII. Cautela, quod distinctio precarii à commodato nullum habeat usum in praxi, §. XIX. Eaque probatur auctoritatibus Doctorum. §. XX. Cautela de vitanda subtilitate inutili juris Romani de precario ad certum tempus concessio. §. XXI. Nec differentiam inter precarium & commodatum, imo ne quidem inter hoc & mutuum esse juris Gentium. §. XXII. Et hanc esse causam precipuam cautelae nostrae. Rariorem tamen esse usum repetende rei commodatae ante finitum tempus. §. XXIII. Cautela, quod non omnis usus, rei precibus impetratus, statim pro precario sit habendus. §. XXIV. Cautela de accuratius inquirenda natura & definitione precariae. §. XXV.

Pre-

Precaria quanta quanta est ad deplumandos Laicos inventa.
§. XXVI. Male & fraudulente artes hic adhibite ut Laici
omnibus modis deciperentur. §. XXVII. Cautela fCtorum cir-
ca secernenda verba directa legatorum à verbis precariis fi-
deicommissorum. §. XXVIII. An jam ante Justinianum in usu
esse desierit. §. XXIX. Fraus Cleri ante Justinianum astutus
quam verius distinguendis inter legata & fideicommissa. §.
XXX. Genuina causa confusorum ab Imperatore legatorum
& fideicommissorum. §. XXXI. An post hanc confusionem Cle-
rus, cui interdita est acquisitio per legata, possit legem elude-
re per fideicommissa. §. XXXII. An hodie plane nullus sit usus
inter verba precaria & alia in legatis & fideicommissis. §.
XXXIII. Cautela de non confundendis questionibus pluribus
latentibus in controversia de necessitate invocationis nominis
divini in instrumentis. 1. de ortu hujus moris & Cleri triplici in-
teresse in ejus introductione. 2. de ejus moralitate. §. XXXIV.
Item questio 3. 4. 5. 6. & 7. de ipsa necessitate invocationis in-
tuitu Juris Justiniani & Germanici. Porro de hujus neces-
sitate abrogatione, officio Notarii & Doctoris circa has que-
stiones. §. XXXV. Cautela circa questionem: An testis roga-
tus vel precibus inductus censeatur esse corruptus. §. XXXVI.
Cautela circa questionem. An preces pariant exceptionem me-
tus? §. XXXVII. Cautela de collectis precariis Bethen, quomo-
do e degeneraverint in prestationes necessarias. §. XXXVIII.
Cautela de mani probatione pretenso superioritatis territo-
rialis ex investitura mit denen Ober- und Nieder-Bethen. §.
XXXIX. Cautela de natura precum primariarum in profundo
veritatis puteo latente. §. XL. & qua ratione eadem in lucem
produci queat. §. XLI.



CAUTELÆ CIRCA DOCTRINAM,
DE
**NATURA PRECUM
JURIDICARUM.**

§. I.

Precibus solemus desideria nostra exponere *Preces in*
iis, à quibus boni alicujus consecutionem *genere qui.*
vel mali averfionem optamus, quam ipsi
præstare nobis jure stricto vel non sunt
obligati, vel certe se obligatos esse non
putant. Atque hic significatus Philoso-
phis, Theologis, Jctis communis est. Ne-
que enim precibus expetimus, quæ nobis
nocitura aut inutilia fore credimus, etsi
forte ob ignorantiam aut stultitiam nostram eadem, quæ ut
bona desideramus, nobis nulli usui futura, aut plane nocitura
sint, & quæ ut mala fugimus atque deprecamur, nobis sint pro-
futura. Deinde etsi sæpe oremus ilios, qui bonum, quod ab
illis speramus, nobis præstare aut nolint aut non possint, suffi-
cit tamen ad preces, quod precibus nostris id ad minimum
declaremus, nos optare, ut præstatio boni ab ipsorum arbitrio
dependeat, & ut illud nobis exhibere velint. Denique pri-
mario

A

mario quidem preces sunt destinatæ ad consequenda ea bona, ad quæ illi, quos precamur, jure stricto non poterant adigi, hoc est, adversus quos, si precibus nostris assurgere nolint, non dantur remedia coactiva, scilicet, quos nec convenire quis poterit actione in civitate, nec extra Civitatem ob denegatum petatum bello aggredi; interim tamen sæpe opus est precibus uti erga morosos debitores, aut erga improbos homines, damnum nobis dantes vel minantes, & pro beneficio interpretari, si post reiteratas preces demum solvant, quod debent, aut à damno dando desistant.

§. II.

Earum differentia à jussibus, mandatis, imperiis &c.

Fluit ex dictis differentia inter preces & jussa vel mandata, item imperia, postulationes, exactiones. Preces rem nobis non debitam, vel certe ut non debitam rogant. Contra jubemus, mandamus, imperamus ea fieri, quæ jure perfecto nobis debentur, & quorum ommissio coactioni nostræ subest. Postulamus & exigimus debita, etiam illa, quæ precibus ortum debent, v. g. cum quis nobis promisit; aliquid esse datum vel facturum; quod enim ante promissionem erat libere voluntatis & non debitum, id post eandem fit res necessitatis & obligationis, nisi sub potestate revocandi nobis fuerit promissio facta, aut nisi natura negotii suadeat, ut res promissa etiam post adimpletionem promissi possit repeti à promittente, quodcumque ei libuerit, tum enim haud dubie etiam poterit poenitere ante adimpletionem: v. g. si promittamus alteri usum superfluum vel abundantem rei nostræ per modum beneficii, tum enim regulariter tacita censetur subesse limitatio, nisi ipsimet eodem vel eadem habeamus opus. Unde abstrahendo à lege positiva hoc intuitu inter locationem, comodatum, precarium non magna suberit differentia.

§. III.

Precamur superiores, pares, inferiores.

Precibus igitur utimur non solum erga superiores, sed etiam erga pares, imo & erga inferiores. Nam superiores etsi multa nobis debeant, quorum obligationem contraxerunt non ut superiores, sed per promissionem ut pares, cum tamen

tamen propterea non desinant esse superiores, (sc. imperio, nam de hac superioritate hic loquimur,) & vero qua tales non possint ab inferioribus cogi, inde necesse est, ut sapissime inferiores, etiam ratione negotiorum illorum, ob quæ pares cogi possunt, erga superiores precibus utantur sæpius iteratis, intuitu vero beneficiorum proprie dictorum regulæ communes decori insuper postulant, ut non vulgari more rogemus superiores, sed cum testatione submissa multæ venerationis, unde supplicationum nomine preces hujus generis communiter indigitari solent. Quod erga pares quandoque precibus utamur in impetrandis rebus, quæ jure perfecto nobis debentur, ratio est, quod in debitis etiam strictè dictis multæ lateant circumstantiæ, quæ beneficiorum instar habentur, & ad quos alter cogi non possit. Ita in debito indefinito bis dat, qui cito dat; ita in debito ex die beneficium præstat, qui ante diem solvit; ita in debito puro incivile est, postulare à debitore, ut statim cum sacco paratus sit; ita etsi debitores cogi possint ad solvendum, non tamen cogi possunt, ut sponte solvant, ipsa coactio multis tædiis afficit etiam ipsos cogentes, unde umbram aliquam beneficii habet, si debitorem exoremus, ut etiam si ipse paratus sit, tædia patienter ferre, quæ, ubi justitia rigide administratur, debitoribus morosis inferuntur, nobis tamen eadem non excitet. Inferiores i. e. qui imperio nostro subiecti sunt, nostris quidem jussibus obedire tenentur, non tamen omnia eorum bona subiecta sunt jussibus nostris, unde multa supersunt, in quibus beneficio nos possunt afficere, in tantum ut Seneca a) latius demonstraverit, etiam vilissimum mancipium posse beneficio afficere dominum. Ergo harum actionum intuitu non solum solent, sed & debent ex regulis decori, superiores uti precibus non verbis imperatiivis, etsi metus potentix eorum, & quod facile sub prætextu ac sub specie justitiæ, si non juste, saltem impune possint inferiores ad talia exhibenda cogere, ut vel exemplum Re-

A 2

gis

a) De beneficiis Lib. 3, Cap. 18. seq.

gis Achali ac Nabothi ex sacris literis rem declarat, occasionem dederit observationi politicæ, preces superiorum habere vim legis, quod apud nos consueta formula indigitamus: *Zeh bitte dich lieber du must.*

§. IV.

*Non solum
homines;
sed etiam
Deum*

Cæterum preces, de quibus hæcenus locuti sumus, sunt actiones inter homines necessariae. Interim certum est, precum vocem eminenter usurpari de rogationibus, quibus à divino Numine quid petimus: & competit iis etiam quam maxime definitio precum ab initio tradita. Etsi enim Deus, ut fons omnis boni sponte etiam sine precibus det hominibus, quibus indigent ac habent opus, nec etiam in Dei essentia sit mutabilitas, ex parte tamen hominum ad eorum officium pertinet, ut exponendo desideria testentur fiduciam, quam in Deo collocant, ut testentur se Deum pro fonte omnium beneficiorum agnoscere, & beneficia ab eo expectare. Etsi etiam in eo sit inter preces humanas & divinas differentia, quod homo Deo nullum reddere possit beneficium, cum alias inter homines, ut diximus, etiam vilissimum possit regi maximo beneficium præstare. Atque hanc doctrinam agnoscit etiam recta ratio sibi relicta, & jam dudum Seneca inde impugnavit gravem de Deo Epicureorum errorem. b)

§. V.

Preces stultæ

Preces porro sunt vel stultæ vel indifferentes. i. e. non stultæ, quare si priores noveris, facile poteris intelligere preces posterioris generis. Potissimæ stultitia precum consistit in rebus, quas petimus, dum videlicet bona imaginaria & res plane noxias petimus ab hominibus pariter, & à Deo; sed sunt tamen & aliæ cautelæ adhibendæ, ne videlicet insipientes sint preces nostræ intuitu personarum, à quibus petimus, ut si petamus:

b) Senec. *de benef. Lib. 4. Cap. 3. 4. & 5. p. m. 80. 81.* Nam si providentia divina non est, quam tollunt Epicurei, frustra imploramus Deum. Sunt autem quæ hic tradit Seneca pulcherrima, & lectu dignissima,

DE NATURA PRECUM JURIDICARUM.

tamus ab iis qui notorie preces nostras vel exaudire non possunt vel nolunt c) Uti v. g. sæpe ab hominibus expetimus talia, quæ scire debebamus non esse in humani generis aut horum hominum, à quibus petimus, arbitrio, uti sæpe frustra petimus aliquid ab hominibus quos facile scire poteramus, quod et si possint, nolint tamen præstare ea, quæ ab ipsis petuntur, imo quos scire poteramus, eo minus præstatorios esse desideria nostra, quo instantius ea ipsis exponimus. d) Similiter & intuitu modi stultæ sunt preces importunæ, & contumaces, quæ contumacia sua invitis beneficia extorquere intendunt, cum recta ratio dicat, preces veras regulariter cum humilitate & submissione decete debere esse conjunctas. Et quamvis nonnunquam preces ejusmodi impudentes res desideratas extorqueant, in primis ab hominibus, qui sine pudore non facile petita denegare possunt, non tamen propterea stultæ esse desinunt, cum ejusmodi homines importunitate hac sua sibi aditum præcludant ad homines beneficos, qui communiter eos fugere solent, atque imposteriorum se adversus tales importunas preces quasi præmuniunt. Sed tamen aliquando opus est prudentia, ut præ nimio pudore non abstineas semper à precibus. e) Sunt præterea etiam preces importunæ ratione loci, temporis & aliarum circumstantiarum moralium, quas tædiosum foret prolixius recensere.

§. VI.

Idem rectæ rationis dictamen præscribit etiam illis, qui rogantur, cautelas quasdam & regulas prudentiæ in præstatione beneficiorum observandas. Benigni quidem & in via sapientia.

A 3

c) Unde Elias Propheta non sine amaro sarcasmo stultitiam hanc exprobrabat Prophetis Baal.

d) Ut sunt v. g. avari, inimici, ira & vindicta flagrantes, ac præterea timidi ac crudeles. Huc pertinet vulgare proverbium;

Wann man die Bauren bittet so grungen die Bäuche.

e) Huc pertinet axioma Grætiæ 235. *savoir demander*, & huc respexit, ni fallor, quicumque dixit *verum politicum debere carere pudore*.

sapientiae constituti animi indicium esse, prompte dare, etiam antequam is, qui beneficio opus habet, roget: f) Sed imprudentiae signum esse, ita dare omnia, omnibus, omni tempore. Sapientis est etiam, scire modum denegandi petita, g) Sapiens minor beneficia dare, quam semel cumulata. h) Et quamuis operam dare omnino debeat, ut preces aliorum non vanis promissionibus decipiat, sed promissa fervet, i) saepe tamen regulae prudentiae suadent, ut tarde promittatur, in primis, quod, si semel datum fuerit, revocari nequit. k)

§. VII

f) Pulcherrime Seneca Lib. 2. de Benef. C. 1. § 2. Illud melius, occupare antequam rogemus: quia cum homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui cum rogasset, accepit. Quoniam quidem, ut majoribus nostris, gravissimis viris, visum est, nulla res carius constai, quam quae precibus empti est. Vota homines parcus facerent, si palam facienda essent, adeo etiam Deos, quibus honestissime supplicamus, tacito malumus & inra nosmetipsos precari. Molestum verbum est, onerosum & demisso vultu dicendum: **ROGO.** Huius facienda est gratia amico, & cuicumque, quem amicum sis promerendo facturus. Properet licet, sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinantur cuiusque voluntas, & cum intel-

lecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est. Illud beneficium jucundum, victurumque in animo scias, quod obviam venit. Adde Gracian regula 236. Faire une grace de ce, que n'eut été apres, qu'une recompense.

g) Gracian reg. 70. Savoir recevoir.

h) Idem reg. 255. Faire peu de bien à la fois, mais souvent.

i) Idem reg. 166. Discerner l'homme, qui donne des paroles d'avec celui, qui donne des effets.

k) Tacitus Hist. 3. Desiderata diures in majus accipiunt. Idem Annal. 13. Tarde concederet, quod datum non adimeretur. Conf. Plin. L. 1. Epist. 8. Gracian reg. 132. S'aviser & se r'aviser. Ipse DEUS illorum, quos amat, petita non statim exaudit. Vide eam in rem plura Seneca loca adducta à Dion. Gothofred, in libris *Aureorum ex*
Seneca

§. VII.

Eti autem supra I) dixerimus, in precum significatione convenire Philosophos, Theologos, JCros, nullum tamen est dubium aliter de natura & effectibus precum sollicitos esse Philosophos, aliter JCros, aliter Theologos. Philosophia, ut hactenus specimen hujus rei dedimus, fundamenta ponit officiorum, & precantibus & illis, quos precamur observandorum: Theologia & Jurisprudentia his fundamentis quædam superaddunt, Theologia quidem regulas supranaturales, quas Philosophia non attingit, Jurisprudentia doctrinas de specioribus quibusdam & peculiaribus effectibus, quas preces ex lege positiva habent, etiam ignoratas à Philosophia sibi relicta.

§. IIX.

Nobis uti haud propositum est de effectibus precum & jure circa preces in universum agere, sed solum cautelas quasdam tradere ad evitandos errores non vulgares quidem, sed communes tamen vulgo, cum hominibus non de vulgo, imo ab his oriundos & in vulgus derivatos, ita hic statim prima & præcipua cautela se offert, ut circa doctrinam de natura precarii probe secernantur characteres sanæ Philosophiæ, Jurisprudentiæ, ac Theologiæ, à characteribus Philosophiæ, Jurisprudentiæ ac Theologiæ spurciæ & larvatiæ. Multa enim de natura precum à Philosophis, JCris, & Theologis subinde docentur, non absque contradictione multa aliorum, ubi non poterit utraque sententia vera esse, sed opus erit hic lydio lapide, ad quem examinetur veritas & falsitas talium doctrinarum. Sæpe etiam docentur quædam cum communi applausu, magnam veri speciem habentia, & firmiter in animis docentium radicata, quod videlicet per longum tempus ta-

Seneca sub rubrica: DEus cur justis ac suis, iisque quos amat munera sua interdum non conferat, | sed eos agitet atque exeruciet
p. 91.

1) Supra §. I. ab initio.

lia infiniti autores ex se invicem bona fide exscripserint, aut quod illi, quibus falsitas doctrinæ suboluit, non fuerint ausi contradicere. Hic autem haud dubie gratum fuerit, si quis commune criterium, secernendi doctrinam de precibus larvataræ sapientiæ à propositionibus fundamentalibus veræ ac genuinæ Philosophiæ, Theologiæ ac Jurisprudentiæ tradere velit. Sed hoc opus, hic labor est, cum infiniti sint errores, una veritas. Nos tamen vel ideo, quia una est veritas, tentabimus, annon possimus, si non exactissimum, præcipuum tamen & capitale criterium suppeditare.

IX.

*Fundamen-
ta perspi-
cua doctri-
na vera*

Fundamentum rationis sensio est. Ipse Apostolus à Christo maxime dilectus veritatem sensuum initio doctrinæ suæ supposuit, m) ipse B. Lutherus in paraphrasi fidei Christianæ jubet, ut quotidie Deo creatori pro omnibus bonis, tam animi quam corporis & inter illa etiam pro sensibus & eorum conservatione Deo gratias agere debeamus, ac similiter pro ratione & intellectu. Nam uti rationis fundamentum sensiones sunt, ita & revelationis fundamentum ratio recta est, hætenus videlicet, ut nulla revelatio vel ejus interpretatio, quæ dictamini rectæ rationis contradicit, pro divina haberi debeat, sicut nulla ratiocinatio vere humana, i. e. hominem decens est, quæ sensui communi contradicit. Ubi ergo deficit ratio, ibi incipit revelatio, & ubi desinit natura, ibi incipiunt supranaturalia. Ratio subordinatur revelationi, nequaquam ei opponitur. Revelatio supplet defectus rationis & insufficientiam, nullo vero modo rationem rectam, etiam sibi relictam abjicit aut destruit. Leges humanæ pariter dictamina rectæ rationis, jubentia aut verantia, non tollunt, sed potius pœnis & præmiis additis eadem adjuvant, iisque quasi sepimenta circumponunt; Illis autem ratiocinationibus intellectus de actionibus humanis, quæ modo sic, modo aliter

se

m) 1. Joh. I, v. 1,

DE NATURA PRECUM JURIDICARUM 9

se habere possunt, iussum aut prohibitionem addunt & ita eas firmius determinant, ut ordo & decorum in vita civili non turbetur. Denique Jurisprudencia, quæ tota practica est, de doctrinis est sollicita, quæ non cum speculationibus inanibus et si subtilibus luctantur, sed quæ in viridi sunt observantia.

§. X.

Igitur criterium præcipuum insipientis Philosophiæ in doctrina de precibus est, si natura precum inculcetur aberrans a positionibus superius (n) traditis, & in ratione communi humani generis palpabiliter fundatis, & rationis loco solæ autoritates virorum, etiam celebrium, afferantur, sæpe ex astutia, sæpe bona fide ex præcipitantia, irrationales aut indecoras preces pro veris & decoris substituentium. Ita quamvis recta ratio dicitur, serias desideria ac serias preces modo cum tristitia & fletu, modo cum fiducia & hilari animo posse esse conjunctas, imposuit tamen autoritas Doctorum famigeratissimorum ut fere communiter creditum fuerit, haud quaquam pro veris ac decoris precibus habendas, esse, nisi quæ fiant cum placentia & lacrymis, quem errorem jam alibi o) fufius demonstratum hic prolixius ostendere superfedeo. Ita quamvis dictamen rectæ rationis doceat, battologias, h. e. formulas precum multoties repetitas, si non importunas, certe parum decoras esse; quamvis Christus, etiam sanæ Philosophiæ restaurator, idem indecorum perspicuis verbis monstraverit p) nescio tamen, qui factum fuerit, ut indecora praxis ejusmodi battologiarum pro eminenter decora & pene sancta communiter hæctenus fuerit habita, saltem quod Romanis, cordatissimis scilicet mortalium, eadem fuerit usitata, q) & a Clero pontificio, invocationem san-

Criterium doctrine falsæ philosophicæ ejusque exempla tria.

B

n) à §. 1. ad 6.

o) Vid. Dn. Præsid. *cautele circa præcognita Jurispr. c. 1.*

p) Matth. VI, v. 7. *conf. Lightfoot. in horis Hebraic. ad illum locum.*

cum ibique etiam Hammondum, Clericum.

q) Ita Senatus apud Lampridium in *Commodo: c. 18. & 19. Parricida trahatur, rogamus Auguste: par-*

ctorum inculcante, r) & hac doctrina ingentes aucupante s) divitias, inde in praxin Ecclesiæ Christianæ fuerit introducta. Ita quamvis Ethnici etiam agnoverint, vel certe ex dictamine rectæ rationis agnoscere potuerint, quod sapiens neminem odisse debeat, & quamvis Christus iterum sanam hanc Philosophiam valde a Judæis obscuratam, pristinae luci restituerit, discipulos suos docens, spiritum Eliæ sub umbris rerum futurarum toleratum, non debere conjungi sub luce Evangelica cum spiritu mansuetudinis Christianæ; t) fere tamen omnia alia sibi persuadent, etiam in media Doctrina Evangelii, multi Doctorem, subinde Deum tantum non publice orantium, ut eos repleat odio hæreticorum, videlicet, quod autoritas Doctorem tenebris papatus immerforum u) hic utramque faciat paginam, et si lumen historiæ Ecclesiasticæ evidentes rationes suppeditet, formulam hanc nullum alium posse habere scopum, quam imperium cleri papalis in conscientias.

§. XI.

2 Theologica, partim rationales aut etiam irrationales venditando

Simili ratione criterium præcipuum doctrinæ pseudotheologicæ in eo consistit, quod vel preces mere naturales ac Philosophicas habeat pro supranaturalibus, vel quod rejecta plane & conculcata ratione recta, de motibus supranaturalibus plurima doceat, quæ nemo intelligit, nec ipsis talia docentibus exceptis. Non sufficit docere, quod preces debeant esse spirituales, si non distincte explicetur, quomodo spiritus divinus

Parricida trahatur. Hoc rogamus, Parricida trahatur. Exaudi Caesar, delatores ad leonem. Exaudi Caesar &c. vide & Eundem in Antonio Diadumeno c. 1. Gallicanum in Avidio Cassio. C. 13. Capitulinum in Maximino c. 26.

r) Hinc enim ortæ repetitiones illæ in litanis, *S. Christophore*

exaudi nos. S. Veronice exaudi nos. S. Longine exaudi nos, S. Martine exaudi nos &c.

s) Vid. Monzamb. *de statu Imperii Germ. C. 8. §. 8. p. m. 421.*

t) Luc. 9. v. 55. ubi vide *Paraphrasin* Hammondii.

u) Notat H. Grotius *ad dictum locum Lucæ*, deesse illum verbum *ficu*

ius supranaturalis differat a spiritu rationali. Etenim supra naturalia haud dubie sint spiritualia, non tamen vice versa omnia spiritualia sunt supranaturalia. Etiam Ethnici multa egregie vera docuerunt, de precibus rite formandis, & si vel Senecam evolvas, & loco Deorum, quos aliquando memorat, substituas nomen Dei unius, nihil melius, nihil verius dici poterat: x) & tamen ea omnia, utpote ex solo lumine naturali hausta, pro supranaturalibus venditari nequeunt; & tamen pauci hæc ac-

B 2

cura-

ficulum 55. cum seq. 56. in quodam Msc. Anglicano, addita ea ratione, quod forte ibi dicta exscriptori asperiora visa fuerint. Unde patet, quam altas radices egerit spiritus persecutionis in animis Doctentium, ut duræ & asperæ doctrinæ ipsis videantur Christianæ, contra doctrinæ mansuetæ & Evangelicæ habeantur pro asperioribus. Mirum, quod non etiam expunxerint ex Luca cap. seq. 10. totam parabolam Christi de Samaritano & Judæo, ad id potissimum propositam, ut doceat Salvator, quam irrationale & ipsi maxime displicens sit odium Hæreticorum (Conf. Lightfootum ad dict. Luc. X. v. 33.)

x) Seneca Epist. 10. circa finem: *Votorum tuorum veterum licet Diis gratias facias, alia de integro suscipe. Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ista vota sepius facias? audacter Deum roga, nil*

illum de alieno rogaturus. Sed ut mora meo cum aliquo munusculo epistolam mittam, verum est, quod apud Athenodorum inveni. Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quantæ dementia est hominum, turpissima vota Diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo, ne hoc precipi salubriter possit: Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. En veritates pulcherrimas, & ad confusionem plurimorum Christianorum, etiam inter docentes, à philosopho Ethnico relictas. Sed ecce & alium locum æque pulcrum & amoenum de stultitia precum humanarum; Epist. 31. Surdum te amantissimis tuis præsta. Bono animo male pre-

can-

curate distinguunt, (y) imo sæpe scorias Ethnicismi, h. e. doctrinarum Philosophicarum falsarum veris admixtarum, de natura precum deprehendes inter arcana Systematum Theologicorum

cantur, et suis esse felix, deos orane quid tibi ex his, que optantur, eveniat. Non sunt ista bona, que in te isti volunt congeri: unum bonum est, quod beate vitæ causa & firmiter mentem est, sibi fidere.

y) Fuerunt enim, ni fallor, ex ipsis Patribus, qui Senecam obtales doctrinas, multis Doctoribus Christianis, circa ineptias evidentes occupatis, ruborem excutientem, pro Christiano habuerunt, & epistolas mutuas Pauli & Senecæ commenti sunt, quasi videlicet tales veritates non possint provenire ex ratione sibi relicta, sed oriuntur ex motibus Spiritus Sancti supernaturalibus; in primis, quod simul observaverint, Senecam, ut ex ipso primo loco, modo excerpto, patet, Dei voce in singulari sapius usum esse. Sed si mentem Stoicorum, (nam & Athenodorus, ut vides *Dei pro Deorum* voce utebatur) paulo penitus inspicias, patebit, doctrinam eorum etsi in multis veram & pulcram, semper tamen aliquid admixti habere ex falso, ut adeo tanta admiratione digna non sit. Fabulas de, episto-

lis Pauli & Senecæ jam refutarunt alii. Deus Stoicorum qualis fuerit, constat ex variis locis Senecæ, collectis à Gothofredo in aureis ex Seneca p. m. 86. eos se, per vocē Dei intellexisse fatum, fortunam, naturam, adeoque naturalia & supernaturalia turpiter confundisse. *Natura, fatum, fortuna omnia ejusdem Dei nomina sunt varie utentis sua potestate* inquit noster IV. de *benef. 8.* & paulo ante c. 7. *Quid aliud natura quam Deus, & divina ratio mundo & partibus ejus inferra?* Unde & illud *sibi fidere* quod pro unico bono habebat Seneca *innot. præced.* etsi commode ex regulis rectæ rationis & Christianissimi expositum, tolerari posset, si tamen cum observatione illa de natura Dei jungas, deprehendes, quod pariter tollat omnia supernaturalia, aut quod naturalia imperite in classem supernaturalium evehat. Quod si eadem exactitudine examines doctrinas patrum ecclesiæ famigeratissimorum, etiam Augustini, Hieronymi, Ambrosii & similium, quas tanquam operationes spiritus sancti etiam

rum hodiernorum v. g. doctrinam de orando summo bono scientiæ, seu orthodoxiæ. z)

§. XIII.

etiam in media luce evangelii incaute veneramur, reperies multo crassiores reliquias simulatæ sapientiæ, non solum haustas ex Platonismo & Stoicismo, sed & quod sub seculo magis barbaro viverent, quam Seneca. Atque hæc cautela multum proderit, ad debite æstimandas doctrinas hodiernas, ubi rarissime inveniuntur Augustini, Hieronymi, Ambrosii, quamvis plurimi affectent plus ultra.

z) Res patebit, si videamus quorsum tendat philosophia Senecæ de precibus prudenter instituendis. Ita enim pergit in loco ultimo, *Epist. 31. Non est, quod ex illo veteri voto parentum tuorum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes: & in totum, jam per maxima aucto viro, turpe est, etiam Deos fatigare. Quid votis opus est, fac te ipse felicem. Facies autem, si intellexeris, bona esse, quibus admixta est virtus; turpia, quibus malitia conjuncta est.* Et statim: *Quid ergo est bonum? Rerum scientia. Quid malum est? Rerum inscitia.* Habes hic errorem capitalem universæ philosophiæ Ethnicæ, communem Stoicis cum Platonis,

Cynicis, Epicureis, Aristotelicis, quo & ipse Socrates laboravit. Vide Lipsum *n. 8. ad hunc locum Seneca.* Cum tamen non solum repugnet primis Christianismi literis, inculcatis à Paulo *1. Cor. II. 1. & XIII. integro*, sed & rectæ rationi, saltem sensu communi rite utenti, ut demonstravit. Du, Præses in *Cautelis circa Præcognita Jurisprudentiæ C. I.* Atque hanc cautelam etiam apud nos valde esse necessariam, exinde patet, quod ille error Senecæ à Papismo inter arcana politica præcipua fuerit relatus. Nam quid *Orthodoxia* aliud, quam *scientia veri*. At vero orthodoxiam pro summo bono habere, & odium non solum erroris, sed & errantium seu heterodoxorum, seu hæreticorum, (nam hæc tria synonyma sunt in praxi) inculcare, duo sunt fulera potissima imperii & divitiarum papalium. Sed & papismi error adhuc magis à vera sapientia abest, quam Stoicis. Nam, ut vides, Stoici inculcabant ad minimum scientias practicas. Ast summum bonum orthodoxiæ papalis sunt ut plurimum speculationes scientiarum sub

§. XII.

*Parim re-
ficiendo
usum ra-
tionis, & sic
omne crite-
rium tol-
lendo na-
turalia, di-
stinguendi
à suprana-
turalibus*

Secundum criterium falsæ Theologiæ, in doctrina de natura precum, diximus in eo consistere, dum forte ex bona intentione & studio fugiendi extremi præcedentis, naturales preces pro supranaturalibus prædicantis, in alterum extremum viri quidam minime mali prolapsi sunt, ut rationem naturalem plane supprimerent, hominemque ad sensationem aliquam supranaturalem in dijudicandis motibus spiritualibus ad Theologiam & Christianismum, adeoque & ad preces Christianas pertinentibus ablegarent. Sed hoc pacto, si ratio naturalis tollatur, pronus erit lapsus in Enthusiastum, etiam brutalissimum, sub prætextu motionum divinarum, ut exempla Anabaptistarum & Quackerorum satis palpabiliter docuerunt. Etenim in eo bene processum fuit, quod criteria rerum vere supranaturalium non in sensationibus intellectualibus & speculationibus inanibus, sed & in sensationibus cordis & gustu veritatum salvificarum fuerint quæsita. Sed cum tamen sensationes cordis hominem magis decipiant, quam sensationes speculationibus inservientes, norma utique danda erat, ad quam examinari debeant illæ sensationes cordis, ne sub prætextu supranaturalium motuum homo patiat se abripi ad res absurdissimas, quod non potest non fieri, si ratio sibi relicta, sed suo tamen modo recta, quæ & intuitu irrogenitorum singulare Dei donum est, abjiciatur & quasi pedibus conculcetur. Porro cum sensationes cordis, etiam hominem non decipientes aut seduceres, sint vel rationales & naturales, vel suprarationales & supranaturales, non sufficit discendi cupidus, si solummodo in genere & confuse, & absque sensu perspicuo, ipsis suadeantur motus supranaturales sed opera danda est, ut criteria certa, si non affirmativa, saltem negativa ad captum omnium dentur, discernendi naturalia a supranaturalibus, naturam a gratia. Sed hoc

subtilissimarum, in speculationibus nudis subsistentium, adeoque potius hominem in stultitiam seducendum, quam ut capaces sint viam veritatis ostendere, a)

hoc est officium doctorum Theologiæ, quod autem hactenus a multis doctrinæ sanæ cupidis sine magno fructu desideratum est. a) Nam sola provocatio ad normam sacræ scripturæ, æque generalis & confusa, hic non sufficit. Uti enim scriptura continet veritates tam ad Philosophiam quam ad Theologiam pertinentes; ita sua sponte fluit solas veritates in scriptura S. contentas ad fecernendos motus bonos supranaturales a naturalibus non sufficere. Quod si vero scriptura & ratio sibi relicta sibi opponantur, infinitæ orientur de interpretatione & sensu Scripturæ lites inter eos, qui contradictorias opiniones ex scriptura probare volunt, atque sic rejecta ratione, & supermanente saltemensione interna spirituali fiet seductio in circumulum seu labyrinthum, dum primo norma sensuum spiritualium genuinarum jubetur esse sacra scriptura, deinde vero norma sensus genuini dictorum scripturæ, rursus jubetur esse sensus internus gaudii spiritualis, vel quid simile. Atque cautelæ nostræ necessitas facile illustrari potest per exempla in diffensu circa veritates partim theoreticas scripturæ b) partim circa practicas. c) Modus vero fecernendi motus supranaturales à naturalibus, quantum ad utilitatem humani generis pertinet, d) omnium simplicissimus erit, si ratio & revelatio, natura

a) Vide Dn. Præf. in cautel. circa præcognita Jurispr. Cap. 19. n. 24. & 25.

b) v. g. si in lite, quæ est inter Reformatos & Lutheranos de veritate interpretationis verborum cœnæ alteruter provocet ad sensationem motuum spiritualium in lectione doctorum suæ sectæ. Vide quæ latius ea de re dicta sunt à Dn. Præs. in notis ad Huberum de

jure civitatis Lib. I. Sect. 6. cap. 5. n. 20. lit. k. p. 243.

c) Quidsi Enthusiasta motus irracionales sentiens vel interficendi aliquem, vel crimen læsæ Majestatis committendi, provocet ad scripturam, ille ad exemplum motuum Abrahami, hic ad exemplum prophetæ, Jehu in Regem ungentis &c.

d) Adjeci hæc verba, ut ostendam, ulterius meditandum esse, in

quo-

natura & gratia sibi non opponantur sed illa huic subordinatur. e)

§. XIII.

*(Quatenus
criteria do-
ctrina fal-
sa philoso-
phica &
theologica
ad 7 Cui cu-
ram perti-
neant)*

Offendet autem copia dicendorum in duobus paragraphis præcedentibus concentrata, quam multa hic monenda restent, si cautelam hanc pro dignitate exponere velimus. Sed quid ea ad nos? Cur non relinquimus philosophica philosophis, & theologica theologis, & de fecernenda Jurisprudentia sana à falsa non tantum sumus solliciti? Facilis autem ad hanc objectionem est responsio, eaque multiplex. Primo relinquimus ubique theologis doctrinæ hujus in theologia primariæ expositionem, eamque expetimus. Quod autem de cautelis fecernendi falsam theologiam à genuina sumus solliciti, ideo factum, quod ejus neglectus hætenus multas turbas dederit in

re-

quonam consistat majus damnum, an in eo, si quis habeat motus naturales & rationales pro supernaturalibus, an si habeat motus (bonos etiam) supernaturalibus pro rationalibus & naturalibus. Meo judicio in solo primo errore damnum est metuendum, videlicet superbiæ spiritualis & arrogantia pharisaica; At error secundus quomodo nocebit homini, modo motibus illis obtemperet, cum utique facienda sint æque sapienti bona ad quæ lumen naturæ, quam ad quæ revelatio ducit. Et imo hic error, quamvis ex accidenti, hominem retinebit in majori humilitate. Unde rursus patet, quam aberrent, qui usum rationis in su-

pranaturalibus plane sequestrandum esse volunt.

e) Uti enim jam supra dictum, ubi definit natura, ibi incipit gratia. Unde si nihil magis lucrabitur ista methodus, saltem id periculum evitabit, ne irracionales ac plane diabolicos motus habeat pro divinis. Nam id commune habent Enthusiaste cum pseudotheologis primæ classis, quod, dum evitare volunt periculum, ne falsam rationem & corruptam pro operatione & motu spirituali in precibus habeant, (secundum exempla §. præcedente propofita) in longe pejus incidant, habendo pro motibus divinis, qui nec umbram motuum rationalium habent.

f)

rebus publicis christianis. Ad ICtos autem in republica literaria pertinet, doctrinas de coercendis turbis reipublicæ inculcare discentibus, adeoque etiam, ubi utraque pars litigantium præterdit, alteram turbas dare, (uti regulariter fit in disensionibus Theologicis in hæretificationes desinentibus) probe intelligere momenta utriusque partis, nec tanquam stipites & truncos dependere a mera autoritate partium litigantium aut judicum, tantum non aperte ad partes pertinentium. At Philosophiam quod attinet, cautio secernendi veram Philosophiam a falsa duplici ex capite ad ICtos pertinet, semel, quatenus Philosophia est commune instrumentum etiam ICtorum adeoque emendatio ejusdem hoc intuitu etiam ad ipsos pertinet, & quatenus ICtus sine Philosophia est campana sine pistillo, tum & altero respectu, quatenus ipsa Theologia rixatrix & turbas movens in Ecclesia est filia falsæ Philosophiæ, adeoque non poterit ejus falsitas sensibiliter cognosci, nisi quis possideat criteria falsæ Philosophiæ,

§. XIV.

Interim, quod directo ipsam Jurisprudentiam attinet, ut cautelam nostram generalem absolvamus, criterium falsæ Jurisprudentiæ in eo consistit, quod falsæ Jurisprudentia, qua legislatoria est, aut prohibeat præcepta jure naturæ, aut permittat prohibita, aut actiones, jure naturæ haud determinatas, confusa & obscure determinet, atque sic non pariat ordinem & decorum in vita civili, sed potius confusionem, eum in finem, ut ex hac confusione potentiores aut astutiores in republica lucrum sentiant, & simpliciores ac innocentes sub prætextu justitiæ vim patiantur atque supprimantur. Quatenus autem Jurisprudentia sumitur pro arte Juris, præcipuum criterium claudicantis Jurisprudentiæ est, si magis sollicita sit de speculationibus inanibus, quam de positionibus, quæ usum in praxi habent. f)

§. XV.

Jam ut ad specialiora pergamus, & criteria veræ & falsæ *Cautela*
C *Juris-Speciales*

f) Rationes criterii hic traditi quære in supra dictis §. 9.

*quales hic
sunt expe-
ctanda.*

Jurisprudentiæ, ad doctrinam de natura precum in variis juris capitibus applicemus, ex erit quidem se effectus precum per varia capita Jurisprudentiæ, qua publicæ, qua privatæ: sed adnotabimus saltem potiora, quæ in praxi usum habent, vel quæ faciunt ad vitandos errores, praxin judicariam & consultatoriam turbantes. Ita notum quidem est, dominium incipere a possessione, possessionis autem esse tria communia vitia, impedientia, quo minus quis beatitudine juridica, quæ alios possidentes sequitur, frui possit, si videlicet possideat, vel vi, vel clam, vel precario. Sed cum nihil jam occurrat, quod de possessione precaria monendum sit, nolimus hic aliorum tradita excubere.

*Cautela, ut
venditor
fide de pre-
tio habita,
ope pre-
carii retineat
dominium.*

§. XVI,

Nisi quod intuitu possessionis precariæ illa cautela usum in praxi habeat. Constat ex Institutionibus, traditionem possessionis in emtione non transferrè dominium, nisi sit fides de pretio habita, g) igitur dominium transferretur fide habita, & adeo Dominus, si pretium non solvatur, habebit saltem actionem ex empto. Quod si igitur venditor velit nihilominus dominium vel rei vindicationem retinere, conventionem opus erit, ut tum emtor possessionem ab eo precario roget, & ipse etiam precario tradat. h) Et si enim is, qui precario rogat, ut sibi possidere liceat, dicatur nancisci possessionem, id tamen cum effectu intelligendum est intuitu aliorum, non intuitu ejus qui rogatus erat. i) Cujus distinctionis, ope conciliare poteris disensionem inter Proculianos & Sabinianos, cujus reliquæ adhuc in Pandectis apparent. k) circa quaestionem subtilem magis, quam in praxi utilem, an videlicet duo possint eandem rem in solidum possidere, nec ne. Sunt quidem & alia similia pacta, quibus

g) §. 41. Inst. de R. D.

h) L. 3. C. de pact. int. Emt. & Vend.

i) l. 15. §. 4. de precar.

k) Adeoque antinomias faciunt vid. L. 3. §. 5. de acquir. & amit. poss. juncta d. l. 15. §. 3. de precario adde Cujac. Lib. 9. Obs. 32. 33.

bus venditor fidem de pretio habens, poterit sibi dominium reservare, sed quæ ad scopum dissertationis nostræ non pertinent. l).

§. XVII.

Cæterum uti nihil est in hoc mundo, quod non diverso respectu & profit & noceat, ita sunt ex Doëtoribus, qui arbitrantur, cautelam præcedentem alio respectu esse noxiam venditori, quia videlicet emtor precario possidens non solvat usuras pretii. m) Quod tamen admitti vix poterit. Præterquam enim quod non adducatur lex, nec appareat ratio hujus assertionis, adeoque doëtoribus sine lege & ratione docentibus, non sit credendum; non concipere possum casum, ubi illa observatio Doëtorum locum habere possit. Usuræ non debentur nisi ex conventionione vel ex mora. Quod si nihil de usuris sit conventum, non solvet usuras emtor, nisi sit in mora. Quod si vero sit in mora, non video quomodo a præstatione usurarum eum liberare possit precaria possessio. Accedit, quod si fides habeatur de pretio, vel pretium sit promissum pure, vel in diem *auff Tagezeiten* si pure & tamen fides habetur de pretio, non solet traditio possessionis fieri sine conventionione de usuris præstandis; si in diem, tum nullæ regulariter debentur usuræ, ante dici existentiam. Quod si autem promissæ fuerint usuræ ab emtore possessionem precario impetrante, nulla iterum subest ratio, quomodo per allegationem possessionis precariæ emtor se liberare possit ab usuris promissis. Et quamvis non sim nescius, usuras etiam præter conventionem & moram deberi ex

Hac cautela adhibita emptorem non liberari à præstatione usurarum.

C 2

fingu-

l) Ita conveniebatur apud Romanos, ut res vendita conducere-
tur ab emtore, tamdiu, donec pre-
tium solveretur *L. Servi emtor*
16. de peric. & comm. rei vend. l. cum
venderem 21. ff. Locati. Cujus pa-
cti, et si id leges discrete non dicant,

haud dubie etiam erit effectus, qui
in thesi indicatus est, *arg. d. l. 21.*

m) Tiraquell, *de Const. possess.*
part. 1. n. 4.

n) *L. 12. §. 9. ff. mand. L. 19. §.*
4. de N. G.

o)

singulari æquitate n) adeoque multo magis dicendum videbatur, posse aliquem etiam liberari a præstatione usurarum; tamen id ipsum in quæstione est, & ista æquitas hæctenus nobis non videtur esse nisi cerebrina.

§. XVIII

An clausula precarii in constitutione possessorio noceat, an proficit, an sit superflua.

His observatis etiam facile responderi poterit ad aliam quæstionem, a præcedente non multum aberrantem. Nota est in praxi utilitas constituti possessorii, cui communiter addi solet a Notariis clausula precarii, ut nempe qui hæctenus nomine suo & tanquam dominus rem possedit, post rem v. g. venditam aut donatam declarat, quod jam possideat nomine emtoris vel donatarii, & quidem precario, si clausula precarii sit adjecta. Jam non desunt Doctores, qui putant, hanc clausulam precarii magis nocere constitutorio i. e. emtori vel donatario, quam ut proficit, quia videlicet, o) si constitutum possessorium simpliciter adjiciatur, tum possessio tam naturalis, quam civilis fit translata ad emtorem & donatarium, at vero si addatur clausula precarii, tum saltem translata esse possessionem civilem, naturalem autem remanere apud venditorem & donantem p). Hic equidem verum est, Notarios sæpe ex ignorantia & inficitia juris, multas in formulis promissionum & contractuum adjicere solere clausulas ineptas & quandoque noxias; q) Verum si nunquam eorum causa deterior esset, quam in præsentis accusationis capite, possent haud dubie conqueri, sibi absque ratione sufficienti, ab invidis ac nimis rigidis formularum examinato-ribus controversiam moveri. Est utique precario accipiens in possessione respectu tertii, non autem respectu concedentis, ut jam supra monuimus.*) Quomodo ergo nocere possit concedenti clausula precarii. Eadem ratio facit, quod ne quidem pro

o) Tiraquellus d. l. & alii, quos citat Illustr. Dn. Stryke de Cautel. contr. d. S. 2. c. 2. § 7.
p) per leg. 15. §. 4. de precar.

q) Parthen. litig. l. 1. c. 9. v. 34. seq.
*) Supra §. 16.

pro superflua haberi debeat clausula precarii, adjecta constituto possessorio, cum profic constitutario, ad eo citius impetrandam aut redintegrandam possessionem adversus precario possidentem, r) quam si v. g. constituerit, se ab emtore ex capite conducti possidere s) nam haud dubie pinguior est conditio constitutarii si constituens rem, ut precariam, se possidere constituat, quam si constituat, se possidere ut conductam vel commodatam &c.

§. XIX.

Deduxit nos ista conventio de precaria possessione ad contractus. Inter hos quomodo mutuuum & commodatum inter se differant, ex Institutionibus notum est. Sunt & inter precarium & commodatum variae differentiae. Commodatum est contractus; Precarium actus liberalitatis, aut pactum legitimum praetorium. t) Unde ex precario non datur actio civilis ex contractu, sed solum interdictum. u) In commodato res ad certum usum conceditur, in precario restituenda est, quando cunque precario danti libuerit. w) Commodatarius praestat culpam levissimam, precario accipiens saltem latam. x) Datur actio commodati non solum directa, sed & contraria, ex precario saltem datur actio unica precarium danti. y) Commodati actio datur etiam adversus heredem ex facto defuncti, aut in precario heres ex dolo defuncti non convenitur, nisi quatenus ad eum pervenit. z) Ut alias differentias ex praecedentibus fluentes jam taceam. Jam quis ne-

*Cautela
quod di-
stinctio pre-
carii à com-
modato
nullum ha-
beat usum
in praxi.*

C 3 get,

- | | |
|----------------------------------------------------------------|------------------------------------------------|
| r) Ill. Dn. Stryke d. §. 7. <i>in fin.</i> | Eod. actionem praescriptis verbis concedentes. |
| s) L. 19. p. de A. & A. P. | w) L. 17. §. 3. Commod. L. 1. pr. de precar. |
| t) L. 1. §. 1. L. 2. §. 2. L. 14. de precario. | x) L. 5. §. 2. Commod. L. 8. §. 3. de precar. |
| u) Paulus in d. l. 14. à quo tamen pro more dissentit Ulpianus | y) T. Tit. ff. de precario. |
| d. l. 2. §. 2. & Javolenus l. 19. §. 2. | z) L. 8. in fine de precario. |

(5)

get, operam dandam omnino studio Jurisprudentiæ, ut ista minime confundat, & leges Justinianeas sibi probe cognitatas faciat. Quod si vero ea solum discenda sunt, quæ usum in praxi habent, securus in utramque aurem hoc intuitu dormire potest ingenuus juris cultor, cum illæ differentiæ omnes nullum habeant usum in praxi.

§. XX.

Eaque probatur auctoritatibus Dd.

Prima differentia cessat hodie, quia hodie contractus & pacta intuitu actionum coincidunt. a) Accedit, quod etiam intuitu ipsius juris Romani, quoad primam quidem originem ex hypothesi, quod precarium non esset contractus, nec adeo eo nomine actio jure civili prodita esset, Prætor ei, qui de restitutione sibi cautionem præstari non curasset, interdictum concesserit: Postea tamen Juri Romani etiam deficiente cautione expressa, tacitam ex negotii natura collegerint, indeque actionem præscriptis verbis introduxerint. Unde & illo tempore hoc interdictum, i. e. ejus necessitas jam evanuisse videtur, quod hodie multo magis dicendum, postquam omnis conventio actionem tribuit. b) Secunda differentia hodie cessat, quia commodans, ob casum inopinatum obvientem re commodata ad proprium usum indigens, eam, usu vel tempore nondum finito, avocare potest. Si namque locans, ex casu antea non proviso, rem locatam, qua ipse opus habet, repetere potest nondum finito locationis tempore, c) multo magis hoc obtinebit in contractu commodati, quippe in quo usus rei gratis concessus. Atque hæc videtur tacita & præsumpta mens commodantis esse, qui intendit quidem commodum re sua gratis alteri afferre, non tamen cum suo incommodo & damno, quod tali casu inopino contingente, eveniret. d) Nec ob-

a) Dn. Titius *Jurisprivati Lib.*
4. c. 11, S. 12.
b) Dn. Beier *in posit. ad Pandect.*
ad Tit. de precario p. 716, Conf. Dn.
Tit. ibid. §. 17.

c) *L. 3. C. locati.*
d) *Zoës de Commod. n. 20.*
Molina de J. & J. disp. 294. n. 3.
& seqq. Bonacin. de Contract. Disp.
3. q. 15. n. 1. Joh. de Dicastillo de
J. &

obstat, quod commodans usum commodatario ad cerum tempus concesserit, adeoque etiam suo cum incommodo fidem fervare teneatur, e) nec mutare consilium queat in alterius detrimentum; f) nam responderit: id quidem regulariter se habere, sed nos agimus de casu speciali excepto. Et quamvis ne quidem donatio possit revocari, ob supervenientem ejus, qui donavit indigentiam, a donatione tamen ad commodatum non licebit inferre, quia rei donatæ & traditæ dominiū transit in donatarium, in commodato solum usus transfertur, qui facilius, quam dominiū revocari potest. g) Cessat & hodie tertia differentia: quia jam latius alibi fuit ostensum a Dn. Præside h) quod distinctionis culparum, in Jure Romano frequentissima, nullus unquam fuerit, nec esse potuerit usus practicus, in specie vero quod precarium attinet, quod ex ipsis genuinis principiis Juris Romani, rem precario accipiens præter dolum, etiam præstare debuerit culpam seu negligentiam, & quod rationes pro adversa sententia plane non conharerant i). Quod quartam differentiam spectat, nihil hodie vetat, quo minus etiam precario accipienti hodie detur actio adversus dantem ratione indemnitate, similem actioni contrariæ commodatæ k). Denique et si quoad quintam differentiam jure Romano heres in precario non ulterius teneretur, quam quatenus ad eum pervenit, secus ac in commodato, tamen si differentiam hanc secundum mores ex animem, eandem plane cessare existimo. In omni enim precario

J. & J. L. 2. tract. 7 disp. 1. n. 5. & seqq.

e) C. 1. vers. certum & vers. cum non de Commod. l. in commod. 17. §. Sicut. ff. eod.

f) C. mutare 33. de R. J. in 6.

g) Struv. Decis. Sabbath. Cap. 5. Dec. 1. quem sequitur Illustr. Dn. Stryke in Usu Mod. ad tit. Com-

mod. §. 1. add. Grotius de J. B. & P. II. 16. 27. 1. ibique Oslander.

h) In Diss. de Usu practico donæ & præstationibus culparum Cap. 2. integr. o.

i) Diss. Diss. c. 1. §. 48. usque ad 56.

k) Dn. Titius d. Libi. 4. Cap. 11. §. 18.

m)

cario pactum subesse, negari nequit. Quemadmodum itaque stipulatio precario adjecta perpetuam parit actionem l) ad heredes transitoriam, m) ita quoque hodie pactum, quod vim stipulationis habet, heredes obstringit, quo posito, contra heredem conditione ex moribus experiri fas est, æque ac contra heredem ex commodato, datur actio commodati n).

§. XXI.

*Cautela de
vicanda
fabrilitate
inutili ju-
ris Romani
de precario
ad certum
tempus
concesso.*

Celsus ait. o) *Cum precario aliquid datur, si convenit, ut in Calendas Junias precario aliquis possideat, num quid exceptione adjuvandum est, ne ante ei possessio auferatur. Sed nulla vis est hujus conventionis, ut rem alienam domino invito possidere liceat.* Absurda ratio, quæ simul omnia pacta & omnes conventiones de usu rei, etiam per commodatum, aut de possessione, in alterum ad certum tempus translata, tollat. Quod si eadem ad precarium in specie debeat esse restricta, ut non valeat conventio, ut rem alienam domino *postea* invito precario possidere liceat, aperte hæc assertio petit principium, nec pro ratione afferre potest, cur non idem valeat in precario, quod in commodato. Neque unquam credo, hæc mira sententia Celsi apud Romanos in praxi recepta fuit, cum occurrant alii textus, qui hujus pacti mentionem faciunt, tanquam de quo nihil sit dubium, quin effectum habeat. Ulpianus ait p) *Item, qui precario ad tempus rogavit, finito tempore, etiamsi ad hoc temporis non rogavit, tamen precario possidere videtur, intelligitur enim dominus, cum patitur eum, qui precario rogaverit, possidere rursus precario concedere.* Idem ampliat Pomponius q) *Sed si manente adhuc precario tu in ulterius tempus rogasti, prorogatur precarium, nam nec mutatur causa possessionis, & non*

con-

- | | |
|-------------------------------------------------------------------|----------------------------------|
| l) L. 15. §. 3. de precas. | dati §. 3. Conf. eundem de caut. |
| m) l. 13. C. de Contrahendis Stipul. | Contr. S. 2. C. 2. §. 4. |
| n) Verba sunt Illustr. Dn. Strykii in Usq. moderno ad tit. commo- | o) l. 12. pr. de precar. |
| | p) L. 4. §. 4. eod. |
| | q) l. 5. p. eod. |

(f)

constituitur eo modo precarium, sed in longius tempus profertur. Si vero præterita die rogas, propius est, ut soluta jam causa precarii non redintegretur, sed nova constituatur. Et egregie falluntur, qui assertionem Celsi in æquitate naturali fundatam putant, Ulpianum vero & Pomponium saltem in eum casum restringunt, ubi dominus ad tempus precarium concedens, facto non mutaverit voluntatem, etsi de jure potuerit. r) Nam uti hoc ultimum præsuppositum plane frigidum est, et, si partim verba Ulpiani & Pomponij consideres, partim modum, quibus uti solent ac debent Jcti in casibus dubiis prudenter for- mandis, expendas, ad illos duos textus Ulpiani & Pomponii non nisi per apertam torturam applicabile; ita prior assertio, quasi responsum Celsi sit in ipsa æquitate fundatū, repugnat iis, quæ hæcenus ex primis rationis rectæ & doctrinæ generalis de conventionum natura principii in contrarium adduximus. Nec juvatur sententia nobis adversa ex ratione æquitatis, qua Ulpianus alibi) æquitatem interdicti de precario explicat. Nam facile responderi potest, Ulpianum ibi loqui de regula & abstrahendo a pacto illo adjecto exceptionem a regula faciente. t) Et recte jam B. Brunnemannus u) observavit hoc pacto adjecto transfundi precarium in commodatum, prout etiam in aliis negotiis bonæ fidei fieri solet, etiam secundum principia Juris Romani. x) Quicquid tamen sit de sententia & principii Juris Romani, in eo certe Brunnemannus rem acu tetigit, dum asserit y) hodie certe moribus Germaniæ ex tali pacto dari posse

D

fe

r) B. Struv. *Decis. Sabbath. c. 4. decis. 10. § 11.*

s) l. 2. §. 2. ff. de precar. *Naturalem habet æquitatem (hoc interdictionum.) Est enim natura æquum tamdiu te liberalitate mea uti, quamdiu ego velim, & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem.*

t) Eadem responsione utitur B. Struvius in *Decis. 1. cap. seq. 5. Resp. ad obj. 1. ibi adductam.*

u) *ad d. l. 12. de Precar.*

x) l. 1. §. 8. *depos. l. 46. locat. §. ult. 7. mand. verb. in aliam formam negotii cadere.*

y) *d. l.*

se conditionem ex lege, vel præscriptis verbis actionem, (adeoque multo magis exceptionem, quam in primis negabat Celsus,) quia omnia pacta non turpia per se hodie subsistant; adeoque huic ultimæ certe assertioni frustra opponitur illa imaginaria æquitas modo notata, & quod tamen dominus, ad tempus precario concedens, non aliam mentem habuerit, quam precarium saltem usum concedendi, non vere contrahendi commodatum, adversus quam & illud insuper dici potest, quod potius dominus concedendo usum certi temporis, videatur saltem precaria voce usum esse in significato laxo, quatenus nempe & commodatum & mutuuum & locatio &c. ad preces petentium sæpe ineuntur. z) Paucis: & quoad principia Juris Romani & quoad mores nostros, pro nostra doctrina egregie facit Philoſophia Pauli, a) Icti alias non ubique æquitatem sequentis, qua quidem in doctrina commodati utitur, sed quæ tamen ex rationis identitate etiam aptissime ad precarium applicari poterit b) *Sicut voluntatis, inquit & officii magis, quam necessitatis est, commodare, (precario dare) ita modum commodati (precarii) finemque præscribere, ejus est, qui beneficium tribuit. Cum autem id fecit, id est, postquam commodavit, (precario ad tempus dedit) tunc finem præscribere, & retro agere, atque item pestive usum commodatæ (precario datæ) rei auferre, non officium tantum impedit, sed & suscepta obligatio inter dandum accipiendumque. Geritur enim negotium invicem, & ideo invicem (etiam in hoc casu*

z) Et hoc sensu intelligo assertum, cujus meminit B. Brunne-
mannus d. l. quod vaga sit natura
precarii, quam in rem Bachovium
& Hillgerum citat. Sed id tamen
miror, quod ex hac ratione isti au-
tores velint defendere istam mi-
ram Celsi doctrinam, cum potius

faceat nostræ sententiæ: Ideo enim
quia vagam naturam habet pre-
carium, facile etiam potest admit-
tere pacta cujuscunque generis,

a) l. 17. §. 3. commod.

b) Prout etiam rectissime ap-
plicat Illustr. Dn. Strykius de
cautel. contract. Sect. 2. c. 2. §. 5.

(c

si precarii) *propositæ sunt actiones, ut appareat, quod principio beneficii ac nude voluntatis fuerat, converti inmutuas præstationes &c.*

§. XXII.

Sed tamen hæcenus dictis, de differentia inter precarium & commodatum hodie in praxi cessante, valde videtur ob-
 stare, quod commodatum sit contractus Juris Gentium c) &
 quod adeo differentia inter commodatum & precarium etiam
 ipso Jure Gentium niti videatur. d) Verum salva res est. Ob-
 ligatio ex conventionione commodati, mutui, precarii orta, dedu-
 citur ex regula Juris Gentium, pacta esse servanda. At differen-
 tia inter commodatum & precarium peculiaris plane videtur
 fuisse Juri Romano, cum apud Græcos non inveniatur harum
 duarum conventionum diversa nomina. e) Imo nec differentia
 inter mutuum & commodatum aliis gentibus tanti fuit visa, ut
 inde peculiare contractus facerent. Quare nec hodiernum apud
 Gallos f) aut Germanos mutuum & commodatum, multo mi-
 nus precarium peculiari nomine insigniuntur, sed mutuo,
 commodato, precario dare & accipere, una voce *leihen & bor-
 gen* exprimitur. Unde non errabis, si dixeris, differentiam juris
 Romani inter mutuum & commodatum non habere usum in
 praxi. Etsi enim jus Gentium dicitur, in concessu usu rei fun-
 gibilis & non fungibilis, tacite actum censeretur, ut idem ibi in
 genere, hic in specie finito usu restituatur, tamen reliquæ diffe-
 rentiæ juris Romani, quod mutuum sit contractus stricti juris,

D 2

mo-

c) §. 2. in fine *Instit. de J. N. G.*
 & C.

d) *Vid. Pufend. de J. N. & G.*
 L. 5. c. 4. §. 6.

e) *vid. Theophil. ad Instit.*
quib. modis re contrahatur obliga-
tio, ubi & in Græco adhibet vocem

κρημνάτω Conf. & *Fragmenta L.*

xii. Tabb. Arodiurn de rebus ju-
dicatis ubi nihil peculiare ex mo-
ribus Græcorum circa differen-
tiam commodati aut precarii de-
prehendi.

f) *Vid. Clariff. Barbeyracum*
in not. ad Pufend. d. §. 6. n. 1.

g)

monopleuros, commodatum contractus bonæ fidei, & quæ sunt aliæ plures, aliunde quam ex naturali & communi objecti diversitate petita, vellem audire, quomodo probari possit, quod illæ ex Jure Gentium orientur, aut usum in praxi forensi Germanica habeant, quod tamen fusius ostendere ad præsentis disputationis scopum haud pertinet.

§. XXIII.

Et hanc esse causam præcipuam cautela nominata. Rationem tamen esse usum repetenda rei commodate ante finitum tempus.

Atque adeo communes juris naturalis regulæ in contractibus beneficiis, ubi usus rei aliis conceditur (ut pariter in mutuo commodato & precario fit) usurpandæ, pro vera ac primaria causâ haberi debent, quod apud Germanos istæ differentiæ quinque Juris Romani inter commodatum & precarium non habeant usum, ne putes, nos solis autoritatibus Doctorum absque ratione hic fuisse usos, aut solas illas rationes, quas ex Doctoribus, supra adductis, allegavimus, esse præcipuas. Quin potius assertis illis Doctorum id videtur addendum esse. Quamvis jure Romano essentialis differentia inter commodatū & precarium in eo constiterit, quod commodatū dictum fuerit, ubi res ad certum usum vel tempus utenda data, precarium ubi nihil tale adjectum fuerit; & quamvis supra notatum fuerit, ex æquitate etiam commodantem, si re valde opus habeat, posse æque repetere eandem ante finitum usum, ac precario dantem; adhuc tamen respectu usus præcisi intuitu hujus differentiæ quædam sunt observanda. Forte enim pro sustinenda diversitate inter contractum commodati & precarium afferre quis posset, quod interdictum de precario sit utilius actione commodati, ad repetendam rem commodatam ante finitum tempus, si ipse commodans ea valde habeat opus, quia non solum interdicta sunt celebrioris expeditionis, quam actiones civiles quæcunque, etiam summariæ, & id haud dubie ob eam rationem, quia in precario, si de eo constet, precario dans nihil debet ulterius probare, at in actione commodati illa probatio ipsi sæpe difficilis futura est, quod re illa commodata ipse habeat opus, & quidem valde. Nam uti locatori non conceditur ob quamcunque novam utilitatem, sed ob gravem & in legibus approbatam, ante finitum tem-

tempus rem locatam repetere, ita nec commodanti permitte-
tur allegare quamcunque levem utilitatem ex usu rei com-
modatae percipiendam. Verum ad ista multipliciter respon-
deri potest. i. Etiam si hæc omnia concedantur, tamen propte-
rea non magis opus erit, ut ex commodato & precario fiant duo
distincti contractus, quam si quis velit ex emtione, verbis nudis
& per scripturam contracta, ex emtione pura aut conditionali,
item ex ipso precario, viva voce aut in scriptura promisso, duos
novos contractus effabricare, etsi inter illas emptionum diver-
sas species orientur etiam diversa jura specialia; aut etsi em-
tio aut precarium, in scriptura celebratum, facilius possit pro-
bari, quam ubi viva voce contrahitur. 2) Interdictum Prætoris
haud dubie est celerioris expeditionis, si modo de precario
constet, sed si reus neget esse precarium, actori probatio precari-
i ita difficilis reddi potest, ut forte commodanti, ubi de com-
modato constat, probatio nova supervenientis indigentia.
3) Est *κρίσις* an accurate doceant, qui docent, ullum inter-
dictum Prætoris, qua tale, hodie obtinere in usu forensi. 4)
Praxis communis Germaniæ legibus publicis introducta, ita
proh dolor! est comparata, ut interdicta, quæ Jure Romano
celerrimæ erant expeditionis, & intra annum finiebantur, mori-
bus Germaniæ durent per seculum. 5) Et hæc ipsa tædiositas
processuum facit, ut etsi doctrina de re locata & commodata ob
novos usus repetenda, summa nitatur æquitate, tamen raro in-
foro hæc actiones compareant, quia processus noster ita est
comparatus, ut non possit actor obtinere suum scopum. Finge
locatorem ædium ad decennium, elapso anno, nova
emergente necessitate velle repetere ædes. An putas, si reus
sit morosus, & cautelis velit uti, ipsi ab ordinationibus processu-
alibus communiter suppeditatis, actorem ante finitum decen-
nium posse obtinere sententiam definitivam, quæ executioni
mandari queat? Hinc cauti advocati alia remedia solent sup-
peditare actori, v. g. ut operam det, an non absque metu vio-
lentia & tumultus possit januas & fenestras ædium locatarum
tollere. Ita enim conductor adiget, ut ipse ex reo fiat actor,
atque

atque ita ad minimum adigatur, ut ipse tædio processus, amica bili conventionem locantis desiderio satisfaciatur. Quamvis nec hæc cautela sit universalis & ubique applicanda, v. g. si reus sit potens, aut habeat faventem judicem &c.

§. XXIII.

Cautela, quod non usus rei omnis, precibus impetratus, pro precario sit habendus

Sed & porro in doctrina de precario cave, ne statim omnem usum rei alienæ pro precario habeas, ita videlicet, ut putes, te usum rei tuæ, ad preces alterius ipsi concessum revocare posse, quando tibi libuerit. Precarium equidem a precibus dicitur, & ad preces alterius conceditur, sed non vice versa, omne, quod ad preces alterius conceditur, precarium est, nam & donatio & servitutis constitutio & privilegii concessio præsupponere possunt preces præcedentes. Unde ab illustri quadam Facultate Juridica responsum fuit, actores precarium hæud quaquam probasse, qui probaverant, quod reo concesserint ad preces ejus, ut in agro Universitatis pecus suam pascere-tur, nam ad constituendum precarium omnes negotij circumstantiæ sunt considerandæ, z)

§. XXV.

Cautela de accurati- us inquirenda natura & definitione precaria.

Pertinet etiam ad contractus, nescio quales, precaria, inventum Juris Canonici, cujus naturam exponere difficile est, ita de ea variant interpretes. a) Alii enim definiunt, quod sit *contractus, jure civili ferme in cognitus, in quo res immobilis alicui ad preces ejusdem conceditur in perpetuum, vel ad vitam accipientis vel ad tempus longum, ita ut beneficii cujusdam loco sit, vel etiam ad tempus breve, sed certum & determinatum, ita, ut ante illud elapsum revocari non possit* b) Vides, quam Autores se torqueant, ut occultent effectum hujus contractus i. e. denominationem Juris, quod ex hoc contractu precista (liceat enim terminum Juris, precariæ nostra affinis, de quo infra c) etiam ad

a) vid. Ill. Dn Strykius de *Cautela contr. loco sæpius citato* § 6.

a) Cujacius *L. 4. Obs. 7.*

b) Joh. Pirhing *meth. nova Juris Canon Tom. III. ad Tit. de precariis fol. 250. & quos ibi citat.*

c)

ad quaestionem praesentem usurpare] acquirit, utrumne sit beneficium & quale, an saltem, ut loquuntur, loco beneficii, & quidem cujusdam: utrumne usufructus transferatur ad precitam, an saltem usus, an plane dominium quoddam utile; item an in perpetuum, an ad tempus, an revocabiliter an irrevocabiliter, & an pro lubitu, an ex certis causis. Nam quamvis in verbis finalibus revocabilitas negetur, tamen verba ita concepta sunt, ut videantur restringi posse saltem ad ultimum casum, & mox dicenda ostendent, istam etiam assertionem, qua in verbis ultimis continetur, tolli per limitationem, regula ipsa ampliorum. Nec etiam memorantur ac commendantur autores, qui videlicet contractum non solum pandectis Juris Romani, sed & gentibus moratoribus pariter & barbaris incognitam invenerint: multo minus memorantur rationes, qua novo huic invento causam praebuerint. Propius ad rem accedunt alii, precariam definiunt, quod sit jus utendi fruendi concessum, ei aut heredibus ejus, qui ecclesiae rem suam donavit, vel in ea res sola, vel in aliis rebus ecclesiae, vel tam in ea, quam in aliis rebus ad certum tempus vel in tempus vitae donatoris, vel etiam liberorum, & vel sine vel cum annua pensione. d] Vides igitur esse inventum ecclesiae. Sed causa tamen introductionis non memoratur, neque deprehendi eandem pro dignitate esse expositam ab illis, qui de precariis commentati sunt e] Neque diplomata de precariis loquentia f] infruent aut satisfacient curiositati inquirentium in rerum origines. N: m haudquam solemus causas, qua contrahentes ad contrahendum mo-

vent

c) Infra §.

d) Franzk. *de laudem*: c. 12. Ziegler *ad Lancell.* lib. 2. tit. 27. §. 5. p. 623. Conf. Struv. *Decif. Sabath.* cap. 4.e) Neque, quod miretis, a Paulo Sarpio *in tractatu de beneficiis*,

etfi ex proposito ibi artes clericales depingat. De precaria enim solum paucissimis & quasi obiter agit §. 19. p. m. 92. seq.

f) Quorum plurima collegit Cangius *in Glossario hac voce*, qui & plena manu alios scriptores de

pre

vent contractibus inferere, aut si inferantur, plerumque non magis veræ esse solent, quam, quæ inferuntur literis patentibus, quibus belligerantes causas bellorum manifestas reddunt. Forte igitur nec injucundum erit, nec inutile, si tentemus an justam precariæ definitionem formare possimus, unde natura ejus accuratius inspicere possit. Non vero possunt naturæ actuum humanorum accuratius inspicere, quam si inquiratur in rerum origines, & intentiones agentium. Quidsi itaque sic dicamus: *Precaria est contractus peculiaris & aliis populis in usus factus, inventus jam ante plurima secula a clero pseudo Christiano ad decipiendos laicos, ut sub spe lucri, ab ecclesia captandi, bonis ipsi aut eorum liberi & consanguinei exuantur; aut ut sub falsa promissione usus fructus rerum propriarum, Ecclesiis ad emendam salutem æternam daturum, sed quancumque Ecclesie placuerit, iterum ad imendam laicos & salutem æternam & libertate, re inestimabili, & bonis insensibiliter fraudarent.* Ne vero in hac definitione vel verbum videamur frustra posuisse, eandem, sed paucis declarabimus.

§. XXVI.

*Precaria
quanta
quanta,
est ad de-
plumandos
Laicos in-
venta.*

Valde operam dedisse clerum Pontificium ad acquirendas opes infinitas, & effectus testatur, & illud aureum axioma de rebus Ecclesiæ non alienandis, vi cuius, dictum Christi quod dare beatius sit, quam accipere, tanquam nimis simplex, non sine applausu rejicitur, & loco ejus articulus fidei primarius in eo ponitur, omnia acquirenda, nihil dandum esse, ut adeo hoc intuitu ecclesia hæc clericalis non coelo, nec purgatorio, sed inferno sit simillima. g) Purgatorium, doctrina de sanctis, & quod sine clero nullus divitum mori debeat, atque hic aucupatæ hereditationes & legata ad pias causas, modus acquirendi

precariis tractantes indicabit. Conf. Leh. *Chronici Spirens.* lib. 2. cap. 43.

g) Ut enim ex purgatorio quidem, sed ex inferno nulla est re-

demtio, ita etiam bona Ecclesiæ acquisita inde non redeunt, hinc & originem sumit manus mortua.

h)

rendi fuit primarius & antiquissimus, ita, ut jam Hieronymi tempore Reges & Principes opus habuerint, ejus augmenta ulteriora legibus interdicens. h] Opus igitur fuit, ut & de aliis acquirendi artificii sollicitus esset Clerus. Invenit ergo Precariam jam sub Augustini temporibus, i] eaque jam sub primis Francorum regibus fuit in viridi observantia; k] Et persuaserunt adeo Laicis, ut si salutem æternam vellent consequi, l] Ecclesiæ bona sua donarent, & earum usum fructum ad dies vitæ, vel etiam ad heredes, in conventionem expressos, transferendum, precibus humilibus ab Ecclesia impetrarent. Unde & precariæ nomen, quæ tamen & præstariæ titulo jam in illis antiquis formulis insignitur. Et si enim vi ipsius conditionis, quam in donationibus apponebant, istud qualecunque simulacrum usus fructus sibi reservarent donatores, tamen pium erat, & Clero lucrosum, quod precum ope potius crederetur illa acquisitio fieri. De lucro, quod Clerus ex illis larvatis precibus sensit mox memorabimus. Pietatis prætextus in eo fuit quæsitus, haud dubie bona, quæ homines possident, si Deum respicias, non sunt nec in dominio hominum, nec jure usus fructus aut commodati, sed solum precario possidentur. Ecclesia est sponsa Dei & Christi. Sponsa utitur jure sponsi. Clerus est Ecclesia representativa. Ergo quicquid Ecclesiæ donatur, revera non ditiores facit sponsam Christi, sed saltem humili declaratione offert sponsæ, quæ jam sunt sponsi, & precibus illis declarat, quod bona sua velit precario saltem a sponsa recipere. Interim, ut & hodie fieri solet, etiam in illis seculis multi fuerunt homines nascuti, quibus sublebat arcanum, quod sub hac pietate captaret Ecclesia, unde fervor

E

hujus

h) Vid. Martin. Schook *Exerc. Var. III. §. 9.*

i) Amelotus Husseus *ad Paul. Sarp. de benefic. d. p. 92.*

k) Vid. *formulas Marculfi &*

adeas Bignonium.

l) Hinc in formulis Marculfi *lib. 2.* mentio fit in præstaria clausulæ; *Pro salute anima,*

m)

hujus pietatis haud dubie refrigescere coepit, inprimis cum & ipsi reges Francorum invigilarent, ne res publica nimia hac liberalitate detrimentum caperet. m) Quare iterum novis illecebris opus fuit ad alliciendos Laicos. Et igitur placuit Ecclesiae, ut qui offerret bona sua Ecclesiae, quae singulis annis fructus v. g. 100. aureorum ferrent, reciperet ab Ecclesia ad dies vitae, vel ad tempus determinatum annuatim 300. aureos. n) Facile autem pater, quod plurimos Laicos, in primis liberis destitutos, aut etiam liberis praeditos, quibus magis cura bonorum praesentium, quam amor familiae cordi esset, hic hamus attraxerit, cum hoc pacto triplum fructuum consuetorum perciperent, & ita lautius ac multo commodius vivere possent. Interim tamen nullum est dubium, quin plus lucrata fuerit hoc pacto Ecclesia, post mortem donantium proprietatem bonorum acquirens, o) & haud dubie non nisi cum hominibus proVectioris aetatis, vel quorum luxuriosa vita spem faceret, haud diu continuanda vitae, tales contractus celebrans. Sed haud dubie illud genus precariarum non nisi in casu necessitatis ab Ecclesia fuit usurpatum, unde mox crescente quotidie Laicorum pietate, hi videntur contenti fuisse, si saltem fructus consueti absque duplo vel triplo ipsis relinquerentur, in tantum, ut insuper & canonem vel censum annuum Ecclesiae de bonis istis solvere inciperent. Vides adeo, quod precaria sit arcanus modus dephumandi insensibiliter Laicos. Jam etiam breviter monstrabimus, quam mala fide & fraudulenter hic insuper usa fuerit Ecclesia Catholica.

§. XXVII.

*Male &
fraudulenter*

Quam exosum sit hominum genus, & quam fraudulentis ac malis artibus opus habeat, qui hereditates legitimis successoribus

m) Vide quae ea de re, quamvis paululum obscurius, narrat Lehmannus d. c. 43.

n) *Can: Precaria* *Caus. 10.*

qu. 2. Factum id Seculo nono. Hufseus d. l.

o) Judice ipso Paulo Sarpio d. l. p. m. 94.

p)

foribus interceptiunt, alibi latius deduxit Dn. Præses. p) Hunc vero scopum sibi etiam in precariis proposuisse Ecclesiam, ex modo dictis constat, & facile concipere poteris, quanta bona ablata fuerint orphanis, viduis & consanguineis indigentibus ac pauperibus, aut saltem intercepta per illam triplicationem fructuum consuetorum. Sed transeant ista, videamus saltem fraudes in precariis communibus adhibitas, & quidem ne affingamus aliquid Ecclesiæ, secundum doctrinam, quam ipsum Jus Canonicum, & qui primus ad manus est Doctor Juris Canonici q) nobis suppeditabit. Ait pontifex. r) *Precariæ, quæ quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ.* Vides hic escam ad alliciendos Laicos, quis enim tam stultus foret, ut bona sua Ecclesiæ donaret, si, ut in precario sit, Ecclesia usum fructum concessum ipsi iterum pro lubitu adimeret. Sed jam audi & fraudes, vel potius limitationes & exceptiones, quibus Jus Canonicum & Canonistæ hoc promissum pro lubitu eludere aut regulam sine contestatione fraudis tollere queunt. Primo non poterit revocare concedens, sed bene tamen concedentis successor. s) Ergo cave, ne decipiaris. Sed facile sentio, nec tibi deesse advocatum, cautelas & fraudes pias suppeditantem. Curabis videlicet, ut concedens pro se & successoribus tibi sub gravi pœna promittat, quod nolit revocare bona ita concessa. Concedunt precarias regulariter Episcopi, homines divites, Ab his ergo in casu violatæ fidei certa pœna, in scripto promissa, per actionem summarissimam & processum executivum poteris pœnam non difficulter exigere. Sed audiatur & altera pars. Non urgebo, etiam processus summarissimos & executivos, non prodesse actoribus adversus reos potentes, saltem videamus, quid Jus Canonicum ad hanc cautionem dicat. Nequaquam inquit. t)

E 2

tene-

p) *Dissert. pecul. de Jur. in jure hereditariarum, & de captatoriis Institutionibus.*

q) *Pirhing ad Tit. de precariis.*

r) *Cap. 3. de precariis.*

s) *Cap. 2. h. r.*

t) *eodem cap. 2.*

u) *arg. cap. si quis 6. de reb. Eccl. alien. Pirhing d. l. n. 11.*

u)

*te artes hic
adhibita,
ut laici
omnibus
modis deciperentur.*

tenetur successor ex conventionem pœnali antecessoris. Verum forte tibi sufficiet, si modo obligatus sit concedens ad observationem contractus, aut ad pœnam promissam, quia Episcopus cum quo contraxisti, vero similiter diutius vivet. At nec hunc censent Canonistæ obligatum esse, ad servandum contractum, sed posse eum revocare & rescindere, si modo in administratione toleretur. u) Neque tibi imaginare, quod saltem pœnam in stipulatione adjectam sis accepturus. Nam & huic incommodo Episcoporum providerunt Canonistæ. Nam si contractus ipse est invalidus & rescindendus; tum etiam pœna adjecta non valet, sed corrui, quia pœna est accessoria contractus, ideoque sequitur naturam sui principalis. w) Indignaris non Ecclesiæ, sed mihi, quasi tibi matrem Ecclesiam vellem suspectam sine ratione & quasi per calumniam reddere. Quid enim? ais, an putas illas assertions, quod concedentes precarias possint conventionem pro lubitu rescindere, nec teneantur stipulationi pœnali doctrinæ Juris Canonici esse conformes? Loquitur Jus Canonicum, loquuntur Canonistæ evidentissime de casibus, ubi contractus irrationabiliter & in damnum Ecclesiæ facti sunt. x) At ideo precariæ sunt inventæ, ne damnum Ecclesiæ patiatur. Sunt prohibitæ alienationes bonorum Ecclesiæ, at in precariis non alienantur bona, sed conceditur saltem per modum beneficii potestas utendi, fruendi; proprietas vero manet apud Ecclesiam, unde nec possessores rei precario concessæ, eam præscribere possunt. y) Sed compesce gaudium, aut fiduciam tuam, & audi etiam alterum textum vel glossam. Quia contractus precariarum valde affinis & similis est concessioni ususfructus, vel etiam contractui emphyteutico, ideo nomine alienationis rerum Ecclesiasticarum prohibitæ etiam

pre-

w) l. 42. de Reg. Jur. in 6. Pirhing *ibid.* n. 12.

x) d. cap. 2. Pirhing n. 10. 11. 12.

y) *Can. Clerici II. caus. 16. q. 3.*

Pirhing n. 14.

z) Pirhing n. 15. in fin. ubi & alios citat.

a)

precariæ comprehenduntur. 2) Satisfeci adeo promisso & ostendi, quod in precaria clerici, soli, omnes, & semper pro luitu bitu sub prætextu justitiæ Laicos decipere potuerint.

§. XXVIII.

Hæc occasione contractuum. Pergo ad ultimas voluntates. In his nota est differentia legatorum & fideicommissorum, inter alia etiam in eo consistens, quod legata fierent verbis directis & civilibus, item imperatивe, fideicommissa verbis precariis. a) Quænam autem verba pro imperatивis, quænam pro precariis haberi deberent, inter Jctos non conveniebat. Notæ quidem sunt formulæ, in quatuor antiquis legatorum generibus usurpate, in legato per vindicationem, *do lego, capito, sumito, sive habeto*; In legato per damnationem: *dare damnas esto, dato, facito*, heredem meum *dare jubeo*: In legato finendi modo: *Heres meus damnas esto, finire* Lucium Titium *sumere* illam rem; Denique in legato per præceptionem: *Lucius Titius illam rem precipiro*. b) At de verbis fideicommissorum non consenserunt Jcti. Tempore Ulpiani fere in usu erant sequentia, *fideicommitto, peto, volo dari* & similia. c) Ubi de prioribus duobus nullum est dubium, esse precaria. At cur *volo dari* ad fideicommissa fuerit relatum, evidens ratio non apparet, cum nihil vel parum certe videatur interesse, sive dicam: *Cajo do lego centum*; item heres meus *Cajo dero centum*; aut: *Heredem meum Cajo 100. dare jubeo*; Sive: *Cajo 100. dari volo*. Et tamen in prioribus tribus formulis subesse censebantur verba civilia & imperativa, d) in ultima verba precaria. An forte ideo, quia paulo civilius sonat ultima formula, quam tres priores? e) Ita dixerimus

Cautela
Jctorum
circa fecerenda verba directa legatorum precariis fideicommissorum.

E 3 remus

- a) Ulp. tit. 24. §. 1. & tit. 25. §. 1.
- b) Ulpianus tit. 24. §. 3. 4. 5. 6.
- c) Idem tit. 25. §. 2.
- d) Ut ex modo adductis legatorum generibus apparet.

e) Priores videntur coincidere v. g. cum nostris formulis gib hey/ ich wills haben/ ic. Posterior cum illis, es beliebt mir/ Sie belieben doch.

f)

remus, nisi jam urgeret alius locus Pauli: f) qui his verbis fideicommissi posse, ait: *Rogo, peto, volo, mando*, deprecor, cupio, *injungo*. Addit: Desidero quoque & *impero* verba, utile facere fideicommissum: *relinquo* vero & *commendo*, nullam fideicommissi facere actionem. Ubi profecto stipes sit, qui credat, *mandare* & *inungere* esse verba precaria: tantum abest, ut sibi quis persuadere possit, *imperare* non esse verbum imperativum, ad legata pertinens. ff) Et tamen ex his verbis fideicommissorum dubiis ipse Imperator Justinianus illud *volo* & *mando* inter verba fideicommissaria retulit, g) & de verbo *Jubeo*, quod tamen Ulpianus diserte ad legata per damnationem referebat, dubitare incepit, utrum ad directa verba pertineret, an ad precaria. h) Et verum est, si *impero* & *injungo* ac *mando* sunt verba precaria, cur non & *jubeo*. Sed ita profecto tollitur differentia inter legata & fideicommissa omnis, ita ut nullum inter ea maneat discernendi criterium. Quid si dicamus, quod vocem *mando* attinet, aliud esse, si testator dixerit dari *mando*, quod æque legatum fecerit, ac dari *jubeo*, aliud si dixerit: fidei vestræ *mando*, ut post obitum vestrum reddatis aut restituatis &c. quam formulam refert Scævola i) & quam haud dubie fideicommissariam esse, verba reliqua omnia perspicue ostendunt. Eadem igitur ratione fideicommissum erit, si testator dixerit: Hereditatem meam post mortem vestram restituatur *Jubeo*. Illud enim Cujacii k) nimis subtile esse videtur, *Jubeo* aliquando esse optantis & adulantis, ut *sapere jubeo*; & Scævola formulam, uxori meæ reddi *jubeo* quinquagin-

ta,

f) *Recept. Sen. lib. 4. tit. 1. §. 6.*

ff) Unde nonnulli apud Paulum pro *impero* legerunt *impetro* alii *imploro*, Fr. Balduinus *de jure novo lib. 3. p. m. 212.*

g) *§. ult. de sing. reb. per si-*

deic. reliquis l. 2. C. Com. de legat.

h) d. l. 2. C. Verb. *Sive directis verbis, quale est jubeo forte.*

i) L. 78. §. 7. *ad Scf. Trebell.*

k) XI. *Obs. 25. in fine unde repetit Wissenbach, ad l. 2. C. comm. de legat.*

l)

ta, quæ mutuo acceperam ab ea, promiscue ad legata & fidei commissa refert l) Scilicet verba civilia in heredum institutione & in legatis videntur dici, quæ a JCris in Jurisprudencia formularia essent præscripta; Reliqua omnia videbantur pertinere ad fideicommissa, quæ olim in arbitrio heredum erant, an ea præstare vellent. Et in primis hereditates fideicommissaria, forte antiquiores fideicommissis singularibus magis cognoscebantur ex verbis *restituendi* aut *reddendi*, quam ex illis, quæ restitutioni adjiciebantur. Aliquando tamen cum magnum dubium subesset, circa verba legatorum & fidei commissorum; controversia per rescriptum Principis finiebatur. Ita intuitu legatorum testatores partim heredem alloquebantur, ut in legato damnationis & finendi modo, partim legatarium, ut in legato vindicationis & per præceptionem, at in fideicommissis regulariter testatores alloquebantur eum, qui dare vel restituere rogabatur, unde quærebatur; Utrum sit fideicommissum, si quis dixerit: *Peto Luci Titi contentus sis centum aureis, aut volo tibi eos præstari*. Negasse videtur Ulpianus ideo, quod fideicommissum petatur ab his, cum quibus testator sit locutus, cum in casu dato potius sit locutus cum petente. m) Sed affirmavit Paulus n) cujus sententia etiam rescripto est confirmata. o) Et huc pertinet etiam, quod Paulus supra notabat: *commendo nullam fideicommissi parere actionem*: nam si quis ita scripserit, illum tibi commendo: Divus Pius rescripsit, fideicommissum non deberi. Aliud est enim personam commendare, aliud voluntatem suam fideicommittentis heredibus infinuare. p) Pium fecutus est Diocletianus: Ex verbis *Commendo* testamento vel codicillis, non videri fideicommissariam liber-

l) L. 28. §. penult. verbis: *Quidam ita legavit: & verbis: fideicommissum confiterit de liber. leg.*
 m) l. 69. pr. de leg. 2.
 n) Lib. 4. sens. tit. 1. §. 5. & Pa-

pinianus l. miles de leg. 2.
 o) d. l. 96. pr. d. l. miles de leg
 2. Cujac. lib. 2. obs. 3.
 p) Ulpianus l. 11. §. 2. de legat. 3.

libertatem relictam, autoritate juris placuit. q) Sed tamen & quoad hoc verbum Jcti respiciebant verba antecedentia & consequentia. Dixerat testator: Medicos tibi *commendo* illum & illum: In tuo iudicio erit, ut habeas bonos libertos & medicos. Quodsi ego libertatem eis dedissem, veritus sum, quod forori meæ carissimæ fecerunt medici servi ejus manumissi ab ea, qui salario expleto reliquerunt eam. Scævola recte respondit: non necessitatem heredibus impositam, sed arbitrium permissum esse. r) Contra, si ita Testator dixerit: Volo & à te peto, foror suavissima, ut Stichum & Damam actores meos, quos ego, quoad rationes retulerint, non manumissi, tibi esse *commendatissimos*. Quodsi ipsi quoque tibi probentur, exposui tibi meam sententiam; Idem respondit: valere fideicommissum, statim enim subjungit: s) quero, si paratis actoribus rationes reddere heres libertatem non præstet, dicendo, eos non placere sibi, num audiendus esset. Respondit, non spectandum, quod heredibus displiceret, sed id, quod viro bono possit placere, ut libertatem consequantur. Vides igitur, quantam curam adhibuerint Jcti in discernendis verbis legatorum & fideicommissorum. t)

§. XXIX.

An in usu
esse desierit
ante Justinianum.

Sed cui usui, inquires, si jam tempore Ulpiani legata & fideicommissa per omnia fuere exæquata. u) Sane jam in Pandectis legimus, quod quandoque formula legatorum & fideicommissorum fuerint conjunctæ, v. g. heres meus *damnas esto dare, fideique ejus committo*. x) Ita & Scævola legati & fideicommissi nomen in uno eodemque casu promiscue usurpat. y) Et diferte Paulus fideicommissum legati nomine contineri di-

q) l. 12. C. de Fideicom. libert.

r) l. 41. §. 6. de Fideicom. libert.

s) d. l. 41. §. 4.

t) Adde omnino Briffonium Lib. 17. de formul. p. m. 668. seq.

u) l. 1. de leg. 1.

x) l. quisquis 95. ff. de legat. 3. l. publius 36. ff. de Condit. & demonstr.

y) l. 28. §. penult. de libr. leg.

dicit, z) ac Ulpianus ait: fideicommissa vice legatorum fungi. a) Interim tamen illo tempore fuere adhuc plurimæ differentia inter legata & fideicommissa observata, v. g. Quod legata tantum in testamento poterant relinqui, fideicommissa saltem in codicillis, quod legata a solo herede relinquerentur, fideicommissa etiam a legatario, quod post mortem heredis aut legatarii legari non poterat, fideicommissi tamen poterat, quod ante heredis institutionem non legari, sed fidei committi poterat. b) Quia vero a temporibus Augusti fideicommissa fuere confirmata, & postea peculiaris Prætor ad jus de fideicommissis dicendum constitutus, in multis coeperunt fidei commissa legatis exequari, quæ latius exponit Strauchius. c) Non tamen per omnia. Unde quamvis alii aliter explicare solant assertionem Ulpiani de exæquatione per omnia, d) vero similis tamen est, illam legem Ulpiani a Triboniano esse interpolatam. e) Ut adeo ex dictis constat, tempore Iustinianorum, ex quorum scriptis Pandectæ fuere compositæ, multum interfuisse, ut probe discernerentur verba ad legata pertinentia, a verbis fideicommissorum.

§: XXX.

Occurrit etiam alia differentia legatorum & fideicommissorum ante Justinianum in forum Romanum introducta, a ante Justinianum a notata, sed quæ tamen occasionem dat, aliquo modo *animum a-* perspiciendi, qua ratione factum fuerit, ut testamentorum causa, *stutius* quæ a primis initiis haud quaquam erat favorabilis, favorabilis *quam veri-* effecta fuerit. Nimirum jam tempore Apostolorum incipiebant *us distin-* multi, sub specie pietatis successionebus simpliciorum, præcipue *guentis in-* vidu- *ter legata,* & *fidei-* *commissa.*

F

- | | |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>z) l. 87. de leg. 3.
 a) l. 8. §. 2. de Cond. Instit.
 b) Vid. Strauchium disp. 10. de Reg. Jur. §. 12. seq. Willenb. ad Pand. Part. 2. disp. 1. §. 3.
 c) d. disp. 10. §. 10. 18. 19. 20. 21.</p> | <p>d) Cujacius, Rævardus, Pacius, Vasquius, Corafius citati Willenbachio d. l. 1b. 4.
 e) Willenb. d. l. Strauchius d. disp. 10. §. 22.</p> |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

f)

viduarum, aut etiam donationibus inhiare, quod nec Baronius dissimulat. Cum igitur talia jam sub persecutionibus facta fuerint, facile perspicitur, quod hoc malum majora incrementa sumferit, postquam per Constantinum pax externa Ecclesiae reddita fuerit, & in ea potissimum urbe, in quam e toto orbe diuitiæ, tanquam in mare flumina confluxissent. Ista igitur hereditarum horum artes & aucupia, de quibus etiam conqueritur Ammianus Marcellinus, f) Imperatores Valentinianus Valens & Gratianus damnarunt, jubentes, ut Ecclesiastici nihil de ejus mulieris (vel viduæ, vel pupillæ), cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate quacunque, vel extremo judicio possint adipisci, & omne in tantū inefficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per subjectam personam valeant aliquid vel donatione vel testamento percipere: quin etiam, si forte post admonitionem legis illius aliquid iisdem eæ sceminae vel donatione vel extremo judicio putaverint relinquendum, voluerunt Imperatores, ut id fiscus usurparet. g) Neque ipsi Ecclesiae Patres, Ambrosius h) & Hieronymus i) dissimulare possunt hanc avaritiam Episcoporum & Cleri

f) Lib. 27. cujus fidem adversus Baronium defendit Jacobus Gothofredus ad Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. l. 20. p. m. 49.

g) d. l. 20. de Episc. Eccles. & Cleric.

h) Libello adversus relati, Symmachi. Contra nobis etiam privatae successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo congeritur. Non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolumus &c. Scribuntur testamenta ministris templorum, nullus excipitur

profanus, nullus ultime conditionis, nullus prodigus verecundie. Solum ex omnibus Clerico commune Jus clauditur, nulla legata vel etiam gravium viduarum, nulla donatio, & ubi in moribus culpa non præscribitur. Quod sacerdotibus phani legaveris christiana vidua, valet: Quod ministris Dei, non valet. Quod ego non ut querar, sed ut sciant, quid non querar, comprehendendi.

i) Hieronymus in pluribus locis

Cleri suorum temporum. Imo Hieronymus aperte fraudem detegit, qua usi fuere Clerici & Monachi, ad eludendam istam legis sanctionem. Etsi enim satis perspicue lex etiam fideicommissa interdiceret, k) non tacere tamen potuit Hieronymus l) impudentiam Cleri, differentiam hac parte inter fideicommissa & legata effingere volentis, atque ut videtur cum effectu, cum Imperatores coacti fuerint, fraudem hanc nova, eaque graviore lege coercere. m) Sed tantum tamen adest, ut Imperatores poterint avaritiam Cleri vincere, utpotius a Clero coacti fuerint,

F 2

poste-

cis hæc aucupia describit & perstringit, veluti in epistolis ad Nepotianum 2. & 3. ad Eustochium 22. Saltem juvabit excerpere sequentem locum ex Epist. 2. ad Nepotianum: Pudet dicere: Sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ & scorta hereditates capiunt. Solis Clericis ac monachis hæc lege prohibetur. Et non prohibetur à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed conqueror, cur meruerimus hanc legem. Caeterum bonum est, sed quo mihi vulnus, ut indigeam cautio. Provida severaque legis cautio, & tamen nec sic refrenatur avaritia. Per fideicommissa legibus illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita, quam Christi, leges timemus, & Evangelia contemnimus. Confer de justitia talium legum le Fra Paolo Considerat. sopra le censure di Papa contra

la Republ. di Venetia p. m. 66. seq. k) in verbis: ut nec per subjectam personam valeant.

l) in verbis: Per fideicommissa legibus illudimus.

m) Imperatores Valentinianus, Theodosius & Arcadius l. 27. Cod. Theod. de Episc. Eccles. & Cleric. Verbis: Si quando diem obierit (Diaconissa) nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum pauperem scribat heredes. Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum circa personas specialiter comprehensas fuerit à moriente confectum. Imo si quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommissio aliquid Clericis in fraudem, venerabilis sanctionis, callida arte aut probrosa cujuspiam cohibentia deferatur, extorres sint ab omnibus, quibus inhiaverant bonis. Et si quid forte per Episcopalam, donationem, testamen-

tine

posteriores illam legem non solum statim supprimere, n) sed & expressâ lege contraria revocare. Quare non mirandum, qui factum fuerit, ut horum successor Martianus legum illarum præcedentium sensum ineptissima interpretatione corrumpere, o) cum hand dubie lex illa Martiani pro more illorum temporum, vel a Clero vel a Cleri mancipio fuerit concepta, ac impudentes istas hereditationes tantum non aperta sanctione confirmaverit.

§. XXXI.

*Genuina
causa con-
fusorum ab
Imperato-
re legato-
rum & fi-
deicommis-
sorum.*

Proderit etiam modo memorata observatio ad inquirendam causam impulsivam, cur Justinianus antiquam differentiam inter varia legatorum genera, p) tum inter legata & fidei commissa q) sustulerit, & ulterius in favorem legatariorum & fideicommissariorum leges veteres, vel sententiam veterum Consultorum correxerit. r) Neque enim æquitas aliqua singularis, aut prudentia politica eum adegit ad ista capita juris emendanda; s) Certe istud epiphonema in lege, ubi sustulit differentiam inter verba fidei commissorum & legatorum, & fidei commissa & legata confudit; *nos enim non verbis, sed rebus leges imponimus,* t) non satisfaciæ ex asse cordatoribus prudentiæ legis-

tum, quolibet denique detegitur genere conscriptum, erga eos, quos hac sanctione submovimus, id nec in judicium devocetur &c.

n) Lex statim sequente 28. abrogatur lex præcedens 27. Imo hanc statim suppressam esse antiquam nota fuerit, docent verba d. l. 28. nuper est promulgata, item si jam nota est.

o) Quod erudite docet Gothofredus ad d. l. 20. & 27. Constitutio Martiani est in novellis legibus,

Codici Theodosiano subjunctis.

p) l. 1. C. Comm. de legat & fideicom.

q) l. 2. C. eod.

r) Urv. g. in l. ult. Cod. eod. de optione legata, & de non alienandis rebus, restitutioni subjectis & alibi tam in Codice tum in Novellis passim.

s) Et si etiam nolim taxare tantam imprudentiam.

t) d. l. 2. in fine.

n)

gislatoriæ gnaris, etsi Justinianus eadem ratiuncula in corrigendis antiquis legibus sæpe utatur. u) Etsi enim illa ratio in se bona sit, non spectanda esse verba; sed magis esse attendendam mentem loquentium, & res, verbis significatas, x) tamen non putandum est, quod veteres, dum differentiam inter legata & fideicommissa in multis capitibus esse voluerunt, solam diversitatem verborum respexerint, sed longe alia ejus rei causa est, ut vel ex Institutionibus patet. Et vel ipse Justinianus ex multis capitibus potuisset cognoscere, suam potentiam tantam non esse, ut sub hoc levissimo prætextu potuerit principia juris, a veteribus prudenter distincta, pro arbitrio sic confundere, ut confusio illa effectum haberet. Itaq. etsi iussisset, æque in legato damnationis ac vindicationis concurrere debere actionem realem, & personalem, tamen uti jam ab aliis recte notatum est, non possunt cumulari hæ actiones, tanquam diversissimæ & plane oppositæ, non potest legatarius actionem realem instituere, si res aliena ipsi fuerit legata, non poterit eadem actione uti, si quantitas ipsi fuerit legata: etiam post leges illas Justinianeas mansit antiqua differentia inter legata & fideicommissa intuitu libertatum, vel Institutionibus id fatentibus, y) Neque excusare hic licebit Justinianum, quod saltem sustulerit differentiam inter legata & fidei commissa salva voluntate testatorum, z) quamvis & hanc rationem ipse dederit mutati antiqui Juris, a) nam hanc rationem facile adversus ipsum retorquere quis possit. V.g. definitur legatum: Quod sit donatio a defuncto relicta &c. Ergo potius veteres respexerunt

F 3

ad

- | | |
|-------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------|
| u) Ut in l. 3. C. de liber. præterit. | fideic. vel. Conf. Wissenb. ad Pand. |
| L. 1. de latina libertate tollenda l. 9. | d. disp. 1. part. 2. §. 5. |
| C. que res pignori. | z) Qua excusatione pro Justiniano utitur Wissenbach d. l. |
| x) Vide elegantem ejus applicationem in Pandectis l. 3. §. 9. de adim. legat. | a) d. l. 1. C. Comm. de legat. Verbis: <i>Ut omnibus modis voluntati ejus satisfiat.</i> |
| y) §. 2. Inst. de Sing. reb. per | |

b)

ad voluntatem defuncti, & cum ille dixisset: Heres meus Titio ædes meas dare damnas esto; concluderunt, quod testator noluerit, ut legatarius ipse autoritate propria ædes illas occuparet, sed ut actione personali eas ab herede peteret. At, si testator dixisset: Titio do lego ædes meas, certe noluit, ædes has ab herede demum legatario dari, quas ipse disertis verbis jam dederat, ergo hic sua sponte se offerebat actio realis legatario concedenda. &c. Ergo fateamur quod res est, & quod nec ipse Justinianus plane dissimulare potest: b) Confusio hæc variorum generum de legatis, & porro legatorum & fideicommissorum, facta est in favorem intempestivum legatariorum & fideicommissariorum. Scilicet apud antiquos, nec sine causa, odiosa erat causa testamentorum, & omnium capitum ad testamenta pertinentium; c) contra favorabilis erat causa successioneis ab intestato. At sub Imperatoribus, & maxime Christianis, rationes politicae mutabantur, & successioneis ab intestato causa fiebat odiosa, contra testamentorum, fideicommissorum, legatorum favorabilis, plerumque ob hereditationes potentum, & maxime Cleri, cujus primarius hamus, ut jam vidimus, erant legata ac fideicommissa. Nec plane dissimulare ipsi nec potuerunt hanc causam, quin vel ipsi, vel illorum clientes eam exprimerent in ipso textu legis primæ. d) Unde & eadem erit repetenda in legibus sequentibus, etsi ibidem non repetatur. Igitur concludo: primariam causam mutationis antiquarum legum circa legata & fideicommissa fuisse favorem piarum causarum, voluntatem defunctorum contra, & alia, quæ Justinianus in legibus ut causas attulit, esse saltem prætextus,

§.XXXII.

b) l. 3. C. d. t. Verbis: §. 2. Sed
quia nostra majestas per multos casus
legatariis & fideicommissariis
prospexit.

c) Vid. Dn. Prædis Disserta-

tiones tres de Originibus testamen-
tariis.

d) d. l. i. C. Comm. de leg. Ver-
bis: Ut omnibus modis voluntati
testatoris satisfiat, & præcipue, cum
alia

§. XXXII.

Quemadmodum autem ex dictis constat; Clerum non fuisse contentum, quod per constitutionem Marciani memoratam, cui libet permissum fuerit, Ecclesiis & monasteriis pro lubitu legare & fideicommissa relinquere; sed insuper ut fuisse Justinianum, ut in favorem eorum res diversæ naturæ & effectuum confunderet; ita successu temporis persuasit idem Clerus superstiosis Laicis, quod talia legata sint meritoria ad remissionem peccatorum & salutem, f) & sic facile concipi potest, qua ratione moti fuerint multi Reges ac principes, ut ad imitationem legis Valentiniani & Graciani huic licentiæ Laicorum dandi bona sua Ecclesiis frenum injicerent. Anno 1300. g) Eduardus III. Rex Angliæ talem legem condidit, quæ & postea, frustra repugnante Clero, executioni data fuit. h) In regno Lusitanix lege provisum est, ut neque Ecclesiæ, neque monasteria nequidem emere possint bona aliqua immobilia absque licentiâ Regis, i) quod & in diversis Germaniæ partibus obtinere testatur Gailius. k) Uti Molina de hujus legis usu etiam

An post
hanc con-
fusionem
Clerus, cui
interdicta
est acquisi-
tio per le-
gata, possit
legem elu-
dere per fi-
deicommissa.

et alia sint legata vel fideicommissa, que piis actibus sunt deputata.

Hinc illa lacrymæ.

e) §. 30.

f) Huc pertinent verba ex interdictione Pauli V. contra Remp. Venetam: in Ecclesiastica bona, que Ecclesiis Ecclesiasticis que personis & aliis locis piis, à testatoribus & cæteris Christi fidelibus pro remedio peccatorum & exoneratione conscientia plerumque relinquuntur.

g) Equidem Fra Paolo nelle consider. sopra le censure & c. p. m.

76. & Joachimus Scaynus in responsione pro decretis Venetis p. m. 71. etiam asserunt, quod Imperator Carolus M. in Ducam Saxonix similem legem tulerit, diu observatam. Sed vereor, ut hæc assertio probari possit, cum potius ex Capitulari de partibus Saxonix artic. 14. 15. 16. 17. constet contrarium.

h) Polid. l. 13. Hist. Angl.

i) Ludov. Molina de Just. & Jure, Part. I. disput. 140. versu quia.

k)

etiam in aliis Regni Hispanici partibus testatur, & Paulus Servita l) etiam de usu in regno Arragoniæ & Franciæ testes profert. De Republ. Veneta res notior est, cum constitutionem suã, de non alienandis bonis immobilibus in personas Ecclesiasticas, de non erigendis de novo monasteriis, cœtibus & reductibus virorum & mulierum, & de non ædificandis de novo Ecclesiis, absque licentia principis, item de judicandis, & puniendis Clericis pro criminibus gravibus & atrocibus, non solum calamo, sed & gladio adversus interdictũ Pauli Papæ V. defenderit. m) Hicce in casibus queritur, an Clerus cui forte interdicta est acquisitio per testamentum aut legata, possit adhibere distinctionem inter legata & fidei commissa, sic ut sub titulo fidei commissi expressi vel taciti rem, ultima voluntate relictam, possit vindicare. Et quamvis forte pro Clero afferri possit, quod simili modo, teste Hieronymo, legem Valentiniani & Gratiani eluserint, n) quod exæquatio legatorum & fideicommissorum a Justiniano in favorem piarum causarum facta fuerit, o) adeoque non debeat in odium eorum detorqueri, imo quod idem diserte disposuerit, quod ubi aliquid contrarium in legatis & fidei commissis evenerit, hoc fideicommissis, tanquam humaniori aggregari debeat, p) tamen nullum est dubium, illam fraudem, quamvis piã, eo ipso quod in fraudem legum ejusmodi prohibitarum sit inventa, jure non approbari posse, unde testimonium Hieronymi non approbantis, sed improbantis potius hanc elusionem legum, potius pro nobis facit. Et si etiam nul-

k) l. 2. obs. 32. n. 15.

l) d. l. p. m. 77. adde Scaynum d. p. 71.

m) Vide Responsa trium J. Cro- rum, Peregrini, Othelii & Scayni reddita pro Decretis Serenissimi Principis Veneti. Pauli Sarpii tra. Statum de interdicto Pontificis, Con-

siderationes supra censuras Pontificis, & Historiam belli inter Paulum V. & Venetos Tomo I, II. & IV. operum.

n) Supra §. 30.

o) per dicta §. preced.

p) l. 2. C. Commun. de legat.

nullum sit dubium, quod controversia hæc, ubi supponuntur leges, Juri Justiniano plane contrariæ, nequaquam ex jure Justiniano sit dirimenda, tamen & illud certum est, frustra in Jure Justiniano argumentum quæri, pro excusandis aut justificandis ejusmodi fraudibus, quia satis constat, neque Jure Justiniano novo hodie licere per fideicommissa quicquam relinquere personis, quas leges inhábiles & intestábiles esse volunt, sive aperte in testamento scribatur fidei commissum, sive tacita rogatione fides heredis scripti divincatur, nam quod palam rogatur, id pro non scripto habetur, quod clam, id in fiscum redigitur, q) quod tot pandectarum locis habetur scriptum, & est tam notæ doctrinæ, ut, quando juris id ordinarii fuerit, ut personis incapacibus relicta præstari necesse, legesque licitum fuerit eludere, non admodum quisquam imaginari possit r)

§. XXXIII.

Sed ut ad cautelam nostram redeamus, quæritur, an & hodie post exæquationem legatorum & fideicommissorum omnimodam, a Justiniano factam, intersit ICTi, secernere verba precaria a directis & imperativis. Sunt quidam ex ICTis, qui id affirmant in casu, quo Justinianus jus sit, ut fideicommissum præsentè & audiente herede relicto, nullam aliam solennitatem requiratis) hanc enim constitutionem volunt ad legatam non pertinere. t) Sed verior est sententia contraria, quæ ratio hujus constitutionis est, ut voluntas defuncti impleatur, nec necesse est, ut heres fidem testatori dederit. Adde quod intuitu voluntatis illius nihil intersit, sive testator præsentè herede dicat: Titius habeto centum, aut: Heres meus Titio centum dare damnas esto, sive dicat: Volo, jubeo, mando, ut heres

An hodie plane nullus sit usus, inter verba precaria & alia in legatis & fideicommissis.

G meus

q) l. 3. de his, quæ pro non script. l. 1. l. 2. §. 1. de Jure fisci.
r) Ulr. Huber ad Instit. de Fideicom. Hered. n. 1. in fine.
s) §. ult. J. de fideicom. hered.

l. fin. C. de fideicommiss. t) Sande lib. 4. tit. 5. def. 18. Franzk. ad Inst. §. fin. de fideicommiss. Huber ad eund. §.

meus Titio centum det. u) Ergo verius est, hodie cautelam illam veterum Ictorū de fecernendis verbis fideicommissorum & legatorum, ratione effectuum civilium in praxi nullum habere usum, nisi eum, qui dilucide ex ipsa declaratione voluntatis testatoris provenit. Nam Justinianus, etsi non primario ad conservandam voluntatem testatorum in reformatione juris veteris respexerit, w) tamen etiam secundario noluit enixa voluntati testatorū advesari. x) Unde unice in voluntate testatoris quaerenda est differentia inter libertatem servorum directam & fideicommissariam, non precise in differentiaverborū imperativorum & precariorum, ut vulgo Doctores statuunt. Nam haud dubie fideicommissaria libertas foret, etiamsi testator dixerit: heres meus Davum manumittere damnas esto. y) Et imo ante omnia videndum erit, utrum verba, quæ prima, fronte precaria esse videntur, ex serua voluntate defuncti, quæ necessitatem imponere heredi voluerit, processerint, an vero in nuda & simplici commendatione alicujus negotii, salvo tamen arbitrio heredis, consistant. Unde nequaquam abrogatas esse arbitror illas leges, quæ in Pandectis cum ratione docent, quasdam formulas in fideicommissis adhibitas pro voluntate enixa testatorum haud esse habendas. Dico leges, quæ talia cum ratione docent. Exemplum habuimus jam supra z) de eo, qui heredi commendaverat servos medicos &c. At dum ibidem ex Paulo memoravimus, etiam verbum *relinquo*, fideicommissi parere actionem; id simpliciter verum esse nequit, & rationi magis convenit decisio Scævola, tale sive legatum sive fideicommissum, a) ubi & verbum *relinquo* & verbum *commendo* a testatore

u) Dn. Præses in scholiis & novis Respons. ad d. l. Huberi.

w) per dicta §. 31.

x) d. l. 1. C. Comm. de legat. Verbis, ut omnibus modis voluntatis ejus satisfiat.

y) Dn. Præses d. l.

z) §. 28. ex l. 41. §. 6. de fideicommiss. Libert. junct. l. 12. C. eod.

a) Nam Scævola modo illo, modo hoc nomine id appellat.

tore fuerat adhibitum, valere dicentis, b) Contra cum ratione docet Ulpianus, conditionem, si volueris, in allocutione heredis adjectam, non facere fideicommissum, quia in testamento nihil potest valere ex nutu heredis, c) ne quidem libertatis datio. d) Aliud est, si dixerit: Heres, si volueris, fidei tuæ committo, ut Stichum manumittas e) quia videlicet, hic verba, *si volueris*, civilitatis causa adjecta esse censentur. Eadem est ratio, si quis in fideicommissis arbitrium heredi quasi viro bono det, v. g. si heres aestimaverit, si comprobaverit, si justum putaverit, item, si fueris arbitratus, si putaveris, si utile tibi fuerit visum, vel si videbitur, aut, si te meruerit, si te non offenderit, si voluntatem meam probaveris: tum enim non in meram voluntatem heredis res censetur esse collata, sed viri boni arbitrio subjecta. f) Breviter in dubio præsumtio erit pro fideicommissis, nisi clare constet, verba, si voluerit, negotium totum ponere in arbitrio heredis, si ei libuerit. g)

§. XXXIV.

Sufficiant hæc de legatis, & fidei commissis. Pergo ad *Cautela de Processum*. Potissimum caput in processualibus est doctrina *non con-*
de fundendis

G 2

b) l. 78. §. 3. ad Sc. Trebell. *Filiam suam heredem scripsit, & nepotem, quem ex ea habebat, ei substituit, & ita cavio: Lucio Titio, fratris mei filio, genero meo, ducentos aureos relinquo, quo legato scio illum contentum esse: quoniam scripsi universam rem meam, eo, quod filiam meam & nepotem meam heredes scripsi, universam substantiam eis communicasse: Quos in vicem commendo. Filia adita patris hereditate divertit à Marito. Quæsitum est: an Titius*

quondam ejus maritus suo & filii sui nomine ex fideicommissis communionem bonorum consequi possit, viva quondam uxore sua vel post mortem ejus. Respondit, nihil fideicommissis datum genero proponi, præter ducentos aureos.

c) l. 11. §. 7. de leg. III. l. 46. pr. & §. 3. de Fideicommissis. Libertat.

d) d. l. 46. §. 3.

e) d. l. 46. pr.

f) d. l. 46. §. 3. l. 75. pr. de leg.

l. 11. §. 7. & 8. de leg. 3.

g) d. l. 46. §. 3. l. 75. pr.

(b)

quæstionibus pluribus, latentibus in controversia de necessitate invocationis nominis divini in instrumentis.
2. de Ortu hujus moris & Cleri triplici interesse in ejus introductione, 2. de ejus moralitate.

de probationibus. Fiunt hæc vel per instrumenta, vel per testes. Vetus jam, & fere prima, quæ dupondii in explicacione Institutionum juris innorescit, & toties ab omnibus Dd. quot Commentarios Institutionū, Digestorum, & Codicis habemus, tractata quæstio est, utrum invocatio nominis divini necessaria sit ad perfectionem Instrumentorum. h] Ergo cum toties dicta nolimus exscribere, observabimus saltem distinctionem quæstionum plurium, quæ in definitione hujus quæstionis communiter misceri solent. I. Quæritur: unde opinio de necessitate invocationis divinæ in instrumentis originem sumserit? Resp. a Clero Pontificio, in alienum sensum detorquente dictum Pauli i) quod omnia, quæ Christiani faciunt, sive verbo sive opere, fieri debeant in nomine Jesu Christi. Causa pravæ explicacionis videtur fuisse interesse triplex Cleri; primo ut possent palliare actiones suas nefandas & injustas sub prætextu, quod eas faciant in nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum est, quod voluptas sit vitium miserimum, cujus quemvis pudet; Contra ambitio & avaritia sunt vitia, quæ plerumque nomina virtutum mentiuntur. Ergo nemo facile, nisi aperte profanus suscipiet actus voluptatis in nomine Domini nostri Jesu Christi. At ipse Clerus ex ambitione & avaritia hæretificando, occidendo, furando, id est hæreticos igne tradendo, excommunicando, eorum bona confiscando, vel hæc fieri a brachio seculari curando, k) formula hac invocationis iram & cupiditates suas occultare instituit. Secundo ut sub hoc prætextu omnia negotia civilia ad forum suum traheret. Notum enim est, quod negotia, quibus iuramenta accesserunt, habeantur pro spiritualibus, aut certe ob clausulam juratoriam ad forum ecclesiasticum pertinentibus. At invocatio nominis divini in

h) Struv. de Inv. Nom. divin. §. 18. lit. b. & §. 26. integ.
i) Coloff. III, 17. ad quem locum
k) Pertinet huc cap. veritatis 8. in fin. de dolo & conum.

in conventionibus & contractibus profacramento habetur. l) Tertio ut sub prætextu zeli divini & puniendi perjurii, avaritia & crudelitati potentum adularentur & ferverent in Laicos. m) Ex prima autem quæstione facile definiri potest 2) de hujus invocationis moralitate. Sanctum habebatur nomen divinum a Judæis & venerabile, & sic haberi debet ab omnibus hominibus, tantum abest ut Christianis ita non habeatur. At quemadmodum nimia aut parum laudabilis familiaritatis, aut plane contemptus indicium esset, si quis principis nomen adhibere vellet ad actus quoscunque, ita Judæi ne adversus reverentiam, nomine divino debitam, peccarent, aut nomen essentiale Jehovah profanarent, regulariter in ejus lectione aut pronuntiatione nomina secundaria, Adonai, Elohim, & similia usurpabant. Adeoque haud dubie ad abusus nominis divini, etsi non ad illos præcise, qui notantur in Decalogo n) pertinet, quod istæ reliquæ Papatus adhuc in usu sint apud Protestantes, ut sine invocatione nominis divini nullum instrumentum super contractibus aut testamentis formetur, nulla promotio Academica, nullus pene actus judicialis, nulla depositio beanorum ridicula, nullus pene conventus opificum peragatur.

§. XXXV.

3. Quæritur: an omissio invocationis hujus instrumentum *Item qua-*
G 3 *sim- sio 3. 4. 5. 6.*

l) l. 8. C. Theod. de pactis, & transact. l. 41. C. de Transact. Verbis: eas autem invocato Dei omnipotentis nomine eo auctore solidaverit.

m) Vide omnino Jacobum Gothofredum ad d. l. 8. C. Theod. ubi ostendit post Alciatum, quod Ruffinus ad palliandas rapinas suas hujus legis autor sit. Et quamvis in fine videatur recedere ab illa

sententia, tamen cuilibet rationes utriusque asserti expendenti, apparebit, rationes prioris sententiæ esse fortiores, quam posterioris. Adde Wissenb. ad d. l. 41. ubi simul notat: illam legem, tanquam nimis duram, usum non esse receptam.

n) Exod. XX, 7. ibique Clericus.

o)

7. de ipsa *necessitate invocationis intuitu Juris Justiniani & Germanici.* Porro de *bujus necessitatis abrogatione, officio Notarii & doctoris circa has Questiones* impe: factum reddat ac nullum jure Justiniano? Quod negatur, quia nusquam dispositio, quæ contrariam sententiam suadet, apparet. o) Alia quæstio est 4) de jure *Recessum Imperii*, ubi eadem erit affirmanda per verba satis clara in constitutione Maximiliani de Notariis; p) quamvis eadem constitutio etiam ostendat, eam solennitatem pertinere saltem ad instrumenta Notariorum, non ad instrumenta privata super contractibus confecta. 5) An constitutio illa Maximiliani sit abroganda? Possè eam abrogari nullum est dubium, non solum ab imperio in comitiis, sed etiam a statibus singulis q) & nullam rationem esse, quæ abrogationem istum dissuadeat, vel ratione moralitatis vel ratione damni reipublicæ, facile ostendi possit, si opus foret. Neque tamen etiam suadere vellem hanc abrogationem, quasi in ea salus Græciæ versaretur, aut quasi omnino indecorum sit, invocationem nominis divini in nullis contractibus, instrumentis, testamentis, promotionibus Academicis & similibus negotiis adhibere. 6) Quodnam his dubiis emergentibus sit officium Notarii? Respondeo a Notario hanc invocationem nec pie r) nec impie s) adhiberi, nec etiam solum eam

o) N. O. Novella 47. verbis *Autore Deo.* Resp. enim Struvius *d. l. th. 26. p. 125. 126. 127.*

p) §. 3. Verbis: Und ihre Solennitäten die Form gehalten/ das in Anfang nach Anrufung Göttlichen Namens / von dem alle Guttbat kommt / junct. §. 4. Verbis: Darum so gebiethen wir dieselben Form forthin in acht zu haben. Dissent. Struvius d. th. 26. p. 129. per verba sequentia ejusdem §. 4. Nichts destominder vorbehalten. c. item doch also/

das aufs wenigste ad quæ respondeo, ea non pertinere ad regulam sed ad exceptionem.

q) Vid. Du. Præses de statum potestate legislatoria contra jus commune. Adde d. §. 4. in verbis: nichts destominder vorbehalten / was sonst von eines jeden Orts Gewohnheit zuhalten wäre.

r) Ut vult Struvius *d. l. p. 131.* Vide Dicta ad qu. 2.

s) Per, dicta ad questionem quintam.

eam tutius adhibendam esse, t) sed omnino eum peccare contra suum officium, si eandem formulam non adhibeat, & partibus teneri ad interesse, si propterea damnum patiantur. 7) Quodnam in hac quaestione sit officium docentium? an videlicet in hac frequentia abusus nominis divini debeant commoveri an quiescere. Respondeo, melius esse si quiescant. Est enim indicium profectum in sapientia, posse ferre stultos u)

§. XXXVI.

Porro quod probationem per testes attinet, solent Docerere: an testis ideo sit repellendus a testimonio, aut suspensus fiat, si a producente precibus ad testimonium dicendum sit inductus? sane precibus testem aequè, corrumpi posse ac directa promissione pretii, in primis si preces a potentibus adhibeantur, experientia docent ac recta ratio, w) etsi id non probent textus, qui eam in rem a Doctoribus allegari solent; x) sed propterea tamen non omnis, qui rogatus est a producente, ut testimonium dicat, statim pro corrupto erit habendus. Sed potius totum negotium relinquatur arbitrio & prudentiæ Judicis, y) unde jam facile constat: quid sentiendum sit de interrogatorio generali, quo communiter uti solent Advocati: Obzeuge vnn Producenten angesprochen worden daß er Zeugniß geben solle? Scilicet id interrogatorium non quidem plane impertinens esse, sed

Cautela circa quaestio- nem: An testis rogatus & precibus inductus censetur esse corruptus

t) Conf. Dn. Hopp *ad Prooem. Infit. ab init.*

u) Quod si quis forte dissentiat, ei commendamus dictum 2. Cor. XI, 19. & ibi commentatores. Gracian *Homme de Cour maxime* 133. Etre plutot fou avec tous, que sage tout seul, & *Maxime* 159. Savoir souffrir les sots. Quibus subjungi potest diligens consideratio & meditatio petitionis quæ in oratio-

ne Dominica. Conf. Dn. Præsid. *de Prud. Consult. c. 4. n. 51. & c.*

s. n. 28,

w) Confr. *supra* §. 3. in fine.

x) Scilicet 1. *feudor. 26. in pr. & Cap. Quotiens 5. vers. Probatio de testibus.* Vid. Struv. *de imocato. Nom. divini. ib. 32. lit. d. p. 173. seq.*

y) Struv. *d. 1,*

z)

sed tamen etiam non multum prodesse parti, contra quam testes in iudicio producantur

§. XXXVII.

*Cautela
circa qua-
sitionem: An
preces pa-
riant exce-
ptionem
metus.*

Ad exceptiones, quibus rei in iudicio uti solent, pertinet etiam exceptio metus. At hunc vero requiritur, ut sit metus, qui cadit in virum constantem, unde Dd communiter excludunt merum reverentialem, z) item ne quis in probatione metus adducat preces principum, a) sed quemadmodum rectus alii de metu reverentiali admonent, iudicem & hic ex circumstantiis arbitrari debere, quis nā metus cadat in virum constantem, b) ita etiam, quod preces attinet sive superiorū sive parium, limitanda est præ cedens assertio, nisi preces sint plane importunæ & instantissimæ, quæ sunt petitiones assiduæ, sollicitationes & persuasiones molestæ. v. g. Ludovicus, ætatis quindecim annorum puer, a pædago suo, presbytero, asperæ ac severæ conditionis viro, cui magna pecuniæ summa promissa erat, importunis inductus fuit precibus, ut Josepham duceret. Puer quidem sæpe resistit, sed obtusus perpetuis sollicitationibus & variis machinationibus tandem coram parcho & testibus annuit, iteratoque se sponte contrahere hoc matrimonium professus est. Mox tamen in libertatem redactus, eam noluit. Curia Madritensis post accerrimas disputationes eum absoluit. e)

§. XXXVIII.

*Cautela de
collectis
precaris*

Hactenus de precariis & precibus in respectu ad jus privatum. Est & earum usus in jure publico. Precariæ sæpe fit mentio in vetustis diplomatibus, & usurpatur pro specie aliqua col-

z) per l. 6. C. de his que vi metusque causa.

a) Brun. ad l. ult. C. d. r. Schöpf. ad Tit. quod met. caus. n. 6.

b) Wiffenb. ad Pand. Part. 1. Diff. 13. th. 13.

c) Vid. plures, quos citat Struvius d. l. p. 171. 172. ubi & alium similem casum refert, & multis rationibus assertionem nostram probat.

f)

collectæ atque tributî d) Germanis dicitur Bede oder Bethe/ item **Bethen**, Orbede vel Urbede/ quasi antiqua & prima precaria a Beten oder *quomodo* Bitten/ quæ & ipsa denotat genus præstationis annuum, quod *ea degene-* possessores bonorum immobilium præstiterunt; Unde Bede *raverint in* münge/ Bethgarben/ Bethkorn / Bethwein e) &c. Dicebatur etiam præstatio-
steura vel stiura, unde nostrum Steuer/ a Steuren quod est auxi-
lium ferre, helfen/ f) unde quoad usum antiquum, precaria *nes necessa-*
& stiura promiscue usurpantur. g) Scilicet & Germani jam tem-
pore Taciti solebant principibus suis, absque coactione, sponte,
dona in sustentationem offerre. h) Reliquiæ hujus moris man-
ferunt

d) Fridericus Imperator in Pri-
vilegio Vienna civitati dato anno
1237. apud Lambecium Bibl. Ca-
sar. lib. 2. c. 5. p. 79. Nullus iudex
nostravel alicujus successoris nostri,
vel sua præsumat autoritate raliam-
que seu precariam in prædictos ci-
ves facere &c. nisi quot & quan-
tum dare voluerint de spontanea
voluntate. Richardus in privilegio,
dato civitati Fridberg 1257. ap. Au-
torem des Berichts der Stadt
Friedberg / contra die Burg
daselbst / punct. 1. n. 9. Bona &
prædia, quæ hætenus cum prædictis
civibus precariam Imperio solve-
bant. Testamentum Henrici III.
Brabantia Ducis de anno 1260.
apud Aubertum Miræum l. 1. di-
plom. Belg. 84. Homines terre
Brabantia sint sine talia, exactione
& precaria.

e) Mundius, Befoldns, Leh-

mannus, & alii, quos citat. Dn.
Rbctz' differt. de Orbeda c. 1. n. 3. seq.

f) Ut in vulgato cantico Hilff/
steuer und wehr / R. J. Spir.
1544. §. Seine Unterthanen der
halben um Hülff und Steuer er-
suchen.

g) Charta Rudolphi Comitiss
Palatini de Tuwing 1267. in mo-
numentis Württemberg in Monast:
Blabeurens. n. 3. Exactio collecta-
rum, quod vulgo Stiura dicitur. du
Fresne voce Steura, Steura, Stiura,
tributum, à Germano Steuer, Steu-
ra seu precaria in aliquot constitu-
tionibus Adolphi Imperatoris 1293.
1299. apud Goldast. T. 1. Conf. Im-
perat. Ipse etiam aliud excerptum
addit ex Sigismundi Monachi
Chroniko Augustano de anno
1370.

h) Tacit. de M. G. c. 15. Mos est
civitatibus ultro ac viriium confer-

ferunt etiam sub regno Francorum, imprimis, cum Reges Francia tentarent absolutam potestatem insensibiliter sibi vindicare j, unde etiam sub Carolingis inculcatum comitibus, ne liberalitate civium abutantur, eamque vertant in necessitatem. k) Et cum ipsi Reges Germaniæ subsequentiis seculis ad nostra usque tempora a Ducibus, Comitibus, ac Urbibus, seu uno verbo a Statibus Imperii in Comitibus subsidia & collectas precibus rogarent, atque ipsi Status consensu suo demum & declaratione obligarentur, incivile fuisset, si Duces & Comites, qui magistratus olim nudi fuerant, ad superioritatem territorialem pedetentim grassantes, statim suos subditos durius tractare voluissent. Unde & ab his collectæ & contributiones olim per modum precum & ex consensu eorum fuerunt imperatæ. l) Sed Imperator hodiernum etiam precario in comitiis imperii onera & contributiones imperii a Statibus obtinet. Contra Status non pauci, qui arcanis artibus absolutam potestatem obtinuerant, a statibus suis in comitiis provincialibus, istas precarias per modum imperii, aut etiam citra comitia per mandata obtinent, nævo communi humani generis, & omnibus seculis usitato, ut, quæ clientes ex liberalitate patronis præstant, ab his mu-

re principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit.

i) Vide hæc latius deducta in dissertatione de Originibus Feudalibus, modo sub Dn. Præsidis præsidio habita.

k) Lehmannus in Chron. Spirensi l. 2. c. 17. ex Pithoei Annalibus de Ludovico I. Imperatore. *Quod si propter lenitatem & mansuetudinem Comitibus suis, eisdem Comi-*

si honoris & obsequii gratia quippiam de rebus suis exhibuerunt, non hoc eis pro tributo aut censu computetur, aut comes ille vel successores ejus hoc in consuetudinem præsumant.

l) Unde & nonnulli Orbedam dicunt esse quasi ein Erbiethen / vel Erbethe nobis eine Erbietbung Rhet. d. l. c. 2. v. 26. Subsequentibus temporibus vocatur eine Beswilligung,

m)

muretur in debitum. m) Unde sua sponte se offert cautela practica, cavendum esse minus potentibus, ne precibus potentiorum aut patronorum, indistincte assurgant, sed ut cautissime hic procedant, ne ex precario fiat onus perpetuum; quam tamen prolixius exponere non est opus, cum istud arcanum potentum ita sit divulgatum, ut nullus sit pene rusticus, qui istam cautelam non calleat, & fere nimis calleat. n)

H 2

§. XXXIX.

m) Vide locum, modo excerptum l. k. ubi secundum latinitatem medii aevi verba: *Hec in consuetudinem praesumant*, significant: Sie sollen keine Gewohnheit oder Gerechtigkeit daraus machen. Pertinent etiam huc ex privilegio Viennensi verba *lit. d.* excerpta, & Wehnerus jam suo tempore notavit, illam miram metamorphosin practicam, daß aus den Bitten ein Gebietßen / und aus der Bethe ein Gebot worden / in *observ. Pract. hac voce.* Atque ipse quasi stilus Curiae Imperialis Status quasi eo mandavit. Cum enim in Rec. Imperii Spirensi de anno 1544. §. 10. in verbis: Seine Unterthanen (i. e. Status provinciales) derhalben um Hülffe und Steuer ersuchen / und die von ihnen einbringen mögen / vox *ersuchen* denotet blandam & quasi precariam compellationem, postea in *Recessu Im-*

perii Ratisbonensi de anno 1557. §. 49. & 50. precaria haec compellatio in mandatum jure imperii mutata fuit in verbis: So soll es derwegen einer jeden Obrigkeit wie herkommen und recht ist freystehen und zugelassen seyn / auch Zug und Macht haben / Ihre Unterthanen Geiße und weltliche / sie seyn exempt, oder nicht exempt, gestreyet / oder nicht gestreyet / niemand ausgenommen, derhalben mit Steuern / zubelegen &c. Und sollen die Unterthanen auff Ersuchen der Obrigkeit / jede sein Gehörniß auszurichten und zu bezahlen schuldig seyn.

n) Rustici enim nostri magis prompti sunt, magnam pecuniam summam Advocatis & judicibus pendere, quam ut Dominis suis aliquot grossos, etiam rogati, indulgeant, sub praetextu, daß sie nicht wollen eine neue Gewohnheit und Gerechtigkeit auffkommen lassen.

§. XXXIX.

*Causela de
inani pro-
batione
pretense
superiori-
tatis terri-
torialis ex
investitura
mit den
Ober und
Nieder
Bethen.*

Cum vero ex modo dictis satis constet, illas præstationes antiquas Germanorum, quæ Bethen & stura, item precariæ dictæ sunt, non solum Imperatoribus Romanis, sed & magistratibus & Judicibus civitatum, qui nullæ superioritatis territorialis capaces sunt, a subditis præstitas fuisse, imo etiam aliunde constet, talia nobilibus etiam præstita fuisse a rusticis; inde sua sponte sequitur, quod, ubicunque de superioritate territoriali controversia oritur, probatio superioritatis exinde haud quam defumi possit, quod quis investitus sit mit den ober und nieder Bethen. Pauci elapsi sunt anni, cum Comites Mansfeldici Potentissimo Regi nostro, tanquam Duci Magdeburgico, talem controversiam moverent, atque inter alias rationes etiam pro probanda superioritate territoriali afferrent, quod olim Comites de Mansfeld ab Archiepiscopis Magdeburgensibus investiti fuerint mit ober und nieder Bethen. Uti vero ad omnia Dn. Comitum argumenta solidissime fuit responsum a Perillustri Autore in eruditissima Informatione Juris & facti in causa Magdeburg contra Mansfeld, o) ita etiam inspecie, quod illud argumentum concernit, evidentissime fuit ostensum, illas investituras istis temporibus fuisse factas, cum collectæ provinciales die Landsteuren tanquam regale superioritatis territorialis nondum in imperio in usu fuerint. Cum ergo origo ac progressus harum collectionum earumque differentia ab antiquis illis ober und nieder Bethen ad oculum fuerit monstrata; p) nolumus a-ctum agere, & cum deductio illa nunquam satis laudanda in omnium manibus sit, rationes ibi fufius adductas huc transcribere. Saltem illud duobus verbis addere licet. Ipsi Comites de Mansfeld in literis investituræ subvassallorum nobilium etiam mentionem faciunt der Bethen. q) Si igitur

ex

o) Publicata Anno 1701. in folio. | 81-107.

q) Ita v. g. litteræ investituræ anno 1665, datæ à Christiano Fri-

p) d. Infom. Jur. & facti p. | de-

ex investitura mit den Bethen argumentari liceret ad superioritatem territorialem, sequeretur etiam, ut superioritas territorialis competeret illis nobilibus, quæ assertio tamen repugnet communibus & evidentibus Juris publici principiis.

§. XL.

Occurrit etiam in Jure publico doctrina de precibus primariis, Imperatori in imperio Romano-Germanico competentibus, a multis tractata, a paucis intellecta. Etsi enim omnes libelli Juris publici ejus mentionem faciant, ac novioribus temporibus, ac in primis, postquam invictissimo Imperatori a Papa controversia de precibus primariis nuper mota fuit, Muldnerus, r) Cortrejus s) Oligenius t) Gribnerus u) illud doctrinæ caput magna cum cura explicare intenderint, videntur tamen a singulis plurima relicta esse, exactius discutienda illis, qui clarum & distinctum conceptum de natura & effectibus harum precum primariarum sibi formare cupiunt. Ita communiter fere in singulis quæstionibus huc pertinentibus Doctores inter se dissentire solent. Saltem notabimus controversias præcipuas. i. Quo tempore inceperit jus primarianum precum? A temporibus Henrici VI. deducit Coringius, w) a temporibus

Cautela de natura primariarum precum in profundo veritatis puteo latente.

Ot-

derico Comite de Mansfeld Nobilibus de Trotha super Deutschesenthal inter alia sequentia verba continent. Auch dasselbe Deutschesenthal mit samt den Gärten/ Weinbergen und drey und zwanzig Hussen Landes / auch mit Diensten/ Zinsen/ Lehen/ Schoßsen/ BEE/ HERN/ Hunern/ Gänssen / und aller Obrigkeit nichts ausgegeschlossen etc.

r) In Dissert. Inaugurali.

s) In representatione juris Primariarum precum.

t) Conradus Oligenius in Dissert. de primariis precibus Imperialibus. Friburgi, Brisgovie 1707.

u) D. Mich. Henr. Gribner, in dissert. de primar. precib. Imperialibus, opposita Oligenio, habita Lipsiæ anno eod.

w) Animadv. ad Bullam Introcent. X. p. m. 310. feq.

Ottonis IV. a. 1209. Zieglerus, x) quem secuti postea sunt Fritschius, Kulpitius, Schilterus. y) A temporibus interregni Muldnerus. z) Non nemo arbitratur, non posse in hac quaestione de prima juris Cæsarei origine quicquam definiri, aut etiam impossibile esse, attingere primam originem hujus juris a) 2. Unde deducendum sit hoc jus Imperatoris? Id coherere ipso juri ex Coronatione Aquisgranensi Regi Romanorum acquisito, vult Coringius b) Jure summi imperii id Jus exercere Imperatorem, statuit Zieglerus. c) Ex indulto pontificio id dependere docuit Chokier d), & nuper evincere conatus est Oligenius. Juxta rei veritatem ex imperio civili, sed juxta superstitutionem illorum temporum ex privilegio pontificis deduxit Dn. Titius. e) Non desunt tamen ex ipsis pontificiis, qui jus hoc nequam ab indulto pontificio dependere, sed potius vel inveteratæ consuetudini, vel simpliciter juribus imperatoris id adscribendum esse defenderunt. f) Unde non mirandum, quod post instrumentum pacis communiter ICti protestantes eandem sententiam defendere soleant. Ad reservata imperatoris illud refert & primo loco recenset Stamlerus g) potissimum illo argumento utens, quod Imperator Matthias istud appellaverit

x) *Ad Lancellotti Instit. Jur. Canon. l. 1. Tit. 26. in fin. p. 196.*

y) *Citati à Muldnero pag. 68.*

z) *pag. 73.*

a) Nam ille non nemo pro more obscure loquitur: von dem Recht derer precum primariarum eines Römischen Käyfers aber kan kein Mensch den ersten Ursprung erreichen.

b) *d. l.*

c) *d. l.*

d) *in scholis ad preces prima-*

rias public: anno 1674. & dedicatis ipsi Ferdinando II. Imperatori.

e) *In specim. jur. publ. Germ. L. 5. c. 3. §. 26. 41. 42. edit. novif.*

f) non solum tempore Matthias Imperatoris, *vid. Klockium tom. 1. Consil. 4. sed & in tractatibus pacis Monasteriensis, vid. Cor-trejum d. l. c. 3. p. 49.*

g) *de reservatis §. 1. Hermes Fascic. Jur. publ. C. XI.*

b)

verit, unser ansehnliches Jus und Regal. h) Contra non nemo pro sua qua pollet egregia & arcana Philosophia, istud jus primariarum precum negat esse majestaticum, aut reservatum, sed vult, tanquam novus inter Doctores juris publici dictator, id esse jus, nescio quale aut quantum, quod imperator juxta majestatem exerceat. i) Cum autem tanta sit dissensio in his duabus quaestionibus, ut nescias, jus primariarum precum quale aut unde sit, non mirum, si in reliquis quaestionibus dissensus continetur. Dum enim III. quaeritur: an Rex Romanorum etiam habeat jus primariarum precum? alii id affirmant, ut post Klockium Fritschius, k) sed de hac assertionem tamen non sine ratione dubitat Muldnerus. l) Similis est ratio quaestionis IV. An jus primariarum precum competat Vicarius Imperii? Negat Linnaeus & Schwederus, m) contra affirmant Buxtorffius, Carpzovius, Fritschius, Rumelinus, Thulemarius n) quos sequuntur Muldnerus & Gribnerus. V. An jus primariarum precum competat etiam Statibus imperii? Affirmat Muldnerus o) Negant initio omnes illi, qui Jus primariarum precum ad reservata Imperatoris referunt; deinde in specie negat Non nemo

h) *ap. Klock. d. Conf. 4.*

i) Vis verba illius oraculi Dodonæi, dabo: Zu dem ist dieses jus primariarum precum kein jus Majestatis Cæsareæ, wie solche pro potestate genommen wird, sondern eine besondere dem Römischen Kaiser durch das Herkommen neben der Majestät erworbene Gerechtigkeit. Et alibi: Ob nun wohl dieses Jus kein jus reservatum Majestatis Cæsareæ zu nennen / quoniam ad jus Majestatis formaliter non pertinet,

verum ad personam Cæsaris Majestaticam, als subjective demjenigen / der die Majestät genennet wird / & hoc sensu jus Majestatis Cæsaris est / dessen reservation der Kayser jemahlen nicht bedürffte hat etc.

k) De primar precib. c. 2. n. 49. & c. 3. n. 14.

l) §. 3. p. 39.

m) Citati Mulden, §. 5.

n) citati Gribnero §. 10.

o) §. 6. p. 45.

p)

mo ille, ut juratus Statuum imperii & superioritatis territorialis adversarius, qui ut Statibus imperii hanc potestatem auferat, ad exemplum iratæ Junonis,

flexere si nequeat superos,

i. e. rectæ rationis & genuinæ publici Juris prudentiæ principia, non quidem Acheronta, sed tamen Metaphysicam scholasticam & nescio cujus insulsi Instructorij principia, instar faxi Sisyphæi movet, sed movendo parum aut nihil promovet. VI. Quo Jure status imperii jus primariarum precum exercent? Alii enim hic ad superioritatem territorialem, alii in specie, quod status protestantes attinet, ad jus Papale, aut quod in effectu idem est, ad suspensionem per leges imperii jurisdictionem papalem in terris Statuum Protestantium provocant: rursus alii, ut iterum Non nemo ille, cum nihil habeant, quod solide juri statuum opponere queant, & ingenue fateantur, se nescire quando & unde jus primariarum precum ortum sit, ad calumnias & injurias, quas in ICros unde quaque celeberrimos emovent, confugiunt. VII. Quomodo intelligendum sit Instrumentum pacis, dum de Jure hodierno primariarum precum invictissimo Imperatori in territorijs statuum exercendo disponit, ut scilicet Sacra Cæsarea Majestas, ubi hactenus jus primariarum precum exercuit, ibi & imposterum exercent? p) Qui cerebrum non in calcaneo gerunt, illud *exercuit*, explicant, de facto exercitum, secundum regulas bonæ interpretationis, cum alias nullum sensum habitura esset dispositio Instrumenti pacis, & distinctio inter collegia Ecclesiastica immediata & mediata, & controversia Imperatori, in tractatibus pacis mota, non fuisset definita, sed, si de jure exercitum intelligenda foret lex imperii pragmatica, similis foret sententiæ incertæ: daß Befl. dasjenige / was Er Hågerm schuldig / zubezahlen schuldig sey: q) His tamen non obstantibus, ille non nemo, quamvis solus, quod sciam, iterum

p) Instrum. pac. art. 5. §. 3. 526. | Instr. Pac.

q) Conf. Buckisch ad d. §. 26.

rum dictatorio more erudito orbi alia omnia persuadere voluit, nulla ratione addita, nulla sana interpretandi regula in medium producta. r) Atque hi dissensus Doctorum hactenus memorati, speciminis loco sufficere poterunt, ut non opus sit reliquas quæstiones vel specialiores, vel minoris momenti in scenam producere.

§. XII.

Jam quidem haud opis est nostræ, tantas componere lites, interim tamen pro libertate Academica licitum erit duobus verbis monstrare filum Ariadneum, quo mediante ex isto labyrintho tuto quis evadere queat. Jus omne ex facto oritur & minima facti circumstantia jus variat. Cum autem hactenus Doctores in univèrsum, qui de Jure primariarum precum scripserunt, parum fuerint solliciti, de historia originis & progressu hujus juris Cæsarei in justum ordinem redigenda, non mirandum etiam est, quod in singulis quæstionibus, circa istud haud vulgare caput doctrinæ jurispublici occurrentibus, tantopere dissentiant. Quod si vero quis originem & progressum juris primariarum precum ab ovo per singula secula deducere velit, deprehendet, intricatū hunc jurispublici articulum absque magna difficultate explicari posse. Absit equidem, ut jura Pontificis defendamus in controversia, desuper Sacræ Cæsareæ Majestati mota, optamus potius, ut scriptū illud Oligenii solide refutetur. Optamus ut iste Nonnemo hic virum se præstet, hic Rhodum esse, ubi saltet, arbitretur, atque justis rationibus hujus juris Pontificii defensoris argumenta destruat. Antequam vero hoc præstet, amice rogamus, ut potius cucurbitas pingat, quam ut tam alto supericilio jura statuum imperii despiciere & tantum non fastu plus quam Hispanico, aut si malis Cynico & Diogeniano

Et qua ratione eadem in luccu produci queat.

I

pe.

r) In verbis: So bleibts doch dabey / daß das exercit in dem Instrumento pacis nicht de actuali exercitio, sondern von der Be-

sugnuß zu verstehen sey / wo der Kaysers jemahlen solch Recht habe exerciren können.

pedibus calcare pergat, & Statibus Proteſtantibus inani conatu perſuadere audeat, ut credant conditionem ſuam debere eſſe deteriorem conditione Statuum Catholicorum. Sed quemadmodum ſpecimen, hætenus ab ipſo in ſcenam productum, in ſingulis prope lineis oſtendit, eum odio Vatiniano ſtatuum imperii & ſuperioritatis territorialis plane occæcatum, more Andabatarum aerem verberaſſe, ita præterea maxime veremur, ne furdo narremus fabulam.

F I N I S.






00 A 6408

ULB Halle 3
002 925 389



VD 18 VD 17 Rho ✓





Op
A
180





CAUTELÆ CIRCA DOCTRINAM
DE

28

NATURA PRECUM JURI- DICARUM,

QVAS

DISSERTATIONE ACADEMICA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE PRUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.
DVCATVS MAGDEBVRG. GVBERNAT.
&c. &c.

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO
INTIMO AC PROFESSORE JURIS ORDINARIO

In Almæ Fridericianæ

AUDITORIO MAJORI

Die IX. Maji MDCCX.

*Proponet, ac publico Eruditorum Examine
subjiciet*

JO. FRIDER. BIECK,
Hallenfis.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ.

TYPIS JOH. CHRISTIANI ZAHNII, ACAD. TYPOGRAPHI.

